UMBRITII A CANTIANI

cu 1213 Q. 22.

POEMATA.

—*Aliter non fit, Avite, liber.* Mart:

LONDINI:

Impensis, JOANNIS GRAII, ad *Claves decussatas* in vico dicto the *Poultry*. 1729.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

Erudito et aequo Lectori. S.

AUdiunt fere poëtae, quod apud Juvenalem Graeculi.

—*Adulandi gens prudentiſſima.*

magnatum ambiunt patrocinia; quos et laudibus haud raro inſulſiſſimis cumulant, ut ipſi unctiores redeant. Famelicis hoc demus: ſed quam ſaepe fruſtra ſunt. *Umbritio* apud terrarum dominos nec ſeritur nec metitur. Tibi ſoli ſcribit, tui unius favorem expetit, ſecurus quid ſentiant ab hiſce literis alieni; et quid ſtatuant illi qui ex moroſa critice gloriolam, aut malevoli animi paſtum conſectantur.

Ut autem, aliqua ſaltem ex parte, conſuetudini morem gerere videar; volui huic cinno carmen praeponere, quod

ad

ad Sereniſſimum *Principem* ante quadriennium ſcripſi: dum ſcilicet in vivis eſſet *Georgius* primus, cujus manes veneror, et genti ſumma adprecor.

Exorandus es modo ut errata Typographo dones, et Auctori quicquid

——— Aut incuria fudit,

Aut humana parum cavit natura...

maxime cum, quodcunque erraverit, ſe non indiligenter ſcripſiſſe profiteatur; quod qui admittit veniam mereri non exiſtimo.

Vale.

Ex agro Cantiano
Cal. Mart.
1729.

AD

Fredericum Principem.

DUra ſi poſſent pietate flecti
Fata; ſi noſtris precibus, tuisque
Cui patres ſancti, *Frederice*, ſciret
Parca moyeri;

Viverent certe *Pyliumve* regem
Georgii; vel quem minuit ſenectus
Longa *Tithonum*; aut homines *Noemi*
Nave priores.

Sed negat ſummi moderator orbis
Rebus humanis propriis manere; et
Debitos caelo ſupereſſe fixae
Quam dedit horae.

Una ſolari poterit querelas
Gentis orbatae ſoboles parentum
Digna, quae rebus patriis, ſuperſtes,
Praeſit et ornet.

Hoc

Ad *Fredericum* P.

Hoc vovet, *Princeps Juvenum*, auguratque
Muſa. Tu divûm in numerum relatos
Georgios reddes; referent et olim
Te tua proles.

Omne ſic creſcet, velut arbor, aevum
Alta *Brunsvici* domus, et reciſi
In locum rami cito pullulabit
Aureus alter.



RUS.

ERRATA.

Page 2. l. 21. *lege* Si non; vixiſſent. p. 5. l. 85. *lege* et (peſtis amara!) p. 7. l. 144. *lege* obſcena. p. 11. l. 131. *lege* zeneram. p. 46. Enthuſiasmus ad *Antonium Pamphilum*. p. 49. l. 40. *lege* caducus. p. 70. l. 535. *lege* Neſtora. l. 549. diſcrimine. p. 73. l. 598. *lege* ardenter. p. 74. l. 3. *lege* Nam. p. 81. l. 160. *lege* tricas. p. 83. l. 218. *lege* choreas deducere. p. 96. l. 260. *lege* caſaeque. p. 98. l. 288. *lege* lamentabimur. p. 102. l. 50. *lege* mediocra. p. 111. l. 56. *lege* aëra. p. 122. l. 92. *lege* Divum. p. 123. l. 93. *lege* impiger. p. 188. l. 33. *lege* Sim, mi *Ieſu*. p. 142. l. 4. *lege* dabis.

RUS.

Satira nata ex tertiâ

JUVENALIS.

Ad Pamphilum Urbanum.

Elicem cenſes, vetus, o! et fide ſodalis,
Forſan et invideas (ſi candida pectora ſciret
Tangere livor edax) primâ ſubeunte ſenectâ,
Quod ſtrepitum, fumumque, et mille incommoda magnæ
Urbis pertaeſum teneant ſylveſtria *Canti*.
Saepe memor noſtri vetereſque, novoſque revolvis
Quotquot ſunt vates, genus urbibus uſque malignum,
Aeternumque ſui laudantes otia ruris.
Et mihi mente comes per opaca et aprica vaganti

Mille voluptates ſentis, quas neſcit amicus
Qui nunc iſta colit. Species ita flectere inanes
Corda virûm, longè qui non indulta tuentur!
Nempe labore putas, curâ, vitiiſque vacare
Ruricolas. Natura tibi ſic cognita noſtra?
Sic res humanae? Sic caeli vindicis ira?
Amiſſum neſcis paradiſum, et dira tropaea
Inferni regis? cui jam data ſaeva poteſtas
In terram, et terrâ genitos; caeleſtia ſummi
Poſtquam juſſa Dei primi ſprevere parentes,
Damnavitque omnes ſcelerata cupido ſciendi,
Si non Vixiſſent, quales tu, *Pamphile*, fingis,
Anxietate procul mentem torquente remoti, et
Felices, praeſente Deo, Diviſque miniſtris.
At noſtris oris nunc exulat otium, et alma
Pax, et ubique loci dominantur cura, dolorque:
Quae fruſtrà fugiet, ſuperâ qui veſcitur aurâ,
Ut longinqua petat, vel ſumma cacumina ſcandat,
Aut ſubeat ſylvas, aut incolat abdita terrae;
Quoquò ſecedat, niſi ſe quoque fugerit ipſum.

Improbus agricolis *labor* eſt, atque *actus in orbem*,
Teſte *Marone* tuo. Credis tu rura colentes
Mollibus in ſomnis, et cantu degere vitam,

Semper

Semper ſub patulae recubantes arboris umbrâ?
Sic parere ſuo ſunt arva docenda colono?
Eſt tibi nimirum leve terram vertere aratro,
Et ſerere, et raſtro concretam frangere glebam,
Infelix lolium et ſteriles evellere avenas,
Agros ſepire, et gentes arcere rapaces,
Caedere ligna foco, et ſaturare novalia ſimo,
Et metere, et meſſes portare ſub horrea pingues,
Et diſtringere equos jam languida colla ferentes,
Ad tenues menſas accedere ſemiſopitum, et
Tandem inferre toro ſudore madentia membra.
Hic noſtris labor eſt, ex quo, maledicta ſit, inquit,
Terra, Deus; ſit ſpina tibi, ſit carduus inde,
Nec facilem victum tibi fuderit amplius uſquàm.

Sed curâ vacuo nihili eſt labor. Eſto. Sed audi,
Ruſtica quot ſaevis anguntur pectora curis.
Ex aequo veniunt permulta incommoda cunctis.
Rure, ut in urbe, gravis morbus, triſtiſque ſenecta;
Conjux aut ſterilis, vel non ſatis aequa marito;
Filius haud frugi, et veneris male conſcia nata,
Atque immaturâ praerepti morte puelli;
Fulmina, terra tremens, tectorum incendia, ſervi,
Vicinique mali, ſociorum injuria, furta,

Et fraudes, et rem faciunt quaecunque minorem.

Sunt etiam curae propriae, quibus arva coluntur,
Dum metuunt segeti; pereat nè messis in herbâ
Imbribus aut aestu nimiis; aut sidere tacta
Spica sit, et sterili uratur rubigine culmus;
Aut flavescentem corrumpat nimbus aristam,
Horrea quo stipulis, paleisque sit area plena.
Nec minor est pecoris vigili sua cura colono,
Nè quis nocte abigat, canibusve, aut vulpibus agni
Sint praeda, aut latè pestis populetur ovile,
Et stabulum, turpisve sues porrigo fatiget.
Cortibus interea pullorum rustica pallet,
Nè rapiat milvus, funestave sit pituita;
Atque apibus, primo nè vere examina ducant
Reges, aut fruftrà pulsâ sartagine longè
Consistant volucres, migrent et in altera jura.
Tanta est cura famem et frigus defendere utrique;
Libere et ut possint charos educere natos,
Quorum amor est urbes et rura colentibus idem.
Quid, quod et adventum domini, cui pensio fundi
Debetur, trepidant, nè, si solvendo colonus
Haud sit, abire alio cogatur nudus, inopsque?
Mox experturus, quàm non molissima corda

Dentur

Dentur iis, qui ſunt ab eodem ſanguine ducti,
Sacra eademque colunt; queis omnia munera amoris
Juſſit, et exemplo fuit, una ſalutis origo,
Numinis aeterni Soboles chariſſima. Sed nos
Nec *Domini* exemplum ferè, nec praecepta moramur;
Sed caenae dubiae, potatio, et alea pernox,
Sumptus facti in equoſque, caneſque, (et peſtis amara!)
Ambitus, exitio patriae quandoque futurus,
Debita pauperibus rapiunt, ut gurgite vaſto,
Non minus ac veſtri cantus, ſpectacula, larvae;
Larvae, jure quibus debetur quicquid amari
Fellis habet calamus, quas vix ſatis exagitaret,
Elyſio veniens, ſi crimina noſtra videret,
In ſatirâ princeps, facundus alumnus *Aquini*.

Agricolas inter fruſtra verumque, fidemque,
Simplicitatem animi, promiſſaque ſacra requirae,
Jamdudum, crede experto, veneranda reliquit
Rus *Aſtraea* ſuum, ſubiitque inviſa *Laverna*.
Et ſi res tenues, ſi mens anguſta ſit illis,
Ingentes verſare dolos ſub pectore nôrunt,
Mentiri, falſoque oculos humore madentes
Tergere, nec deerit ficti conſtantia vultus
Magno deprenſis in crimine. Subdola corda

Non urbes tantùm norunt, et limina regum.
Vafrities æquis in vendendis ésb et emendis.
His, qui juxta *Iscaevo* colunt *Trentaeve* fluenta,
Ac *Tameſi* pleno quos praeterlabitur alveo.
Arte valent fortaſſe minus, qui rure remoto
Rem faciunt; cedunt nequaquam mente nocendi.
Diſcrimen cultura facit, facit uſus, et apta
Tempora, quae nunquam contingunt omnibus aeque.
Ruſticus iſte planus, qui fraudibus uſque minutis
Incumbit, miſero pernix inhiare lucello,
Advectus veſtram *Auguſtum* fortaſſe fuiſſet
Duncomio par, *Pitkiniove*; et forſitan illis,
Quorum conſilio tot ſunt patrimonia fracta,
Quorum flagitio magis eſt infame futurum
Auſtrinum pelagus, ſcopulis quam et ſyrtibus olim
Ionium, aut *Siculum*, *Mauraſve* quod alluit oras.
Et qui jam nos deſpiciunt e curribus altis,
Fraude ſuâ laeti, fruſtrà damnante ſenatu,
Nati atque edocti longinquo rure, fuiſſent
Furciferi tenues, atque ipsâ vix cruce digni.

In campis habet et noſtris ſua caſtra *Cupido*;
Paſtores illic nequam, nymphaeque protervae;

Sunt et adulteria, et mala monstra libidinis ipsos
Agricolas inter; sunt res, ut nomina desint,
Sed pudor ista monet propriis damnanda tenebris.

Nec vestrâ magis est gens sicca et sobria nostra,
Ebrietas late per rustica praedia regnat.
Baccho sacra palam fiunt; sint nundina testes,
Sint et festarum solennia quaeque dierum.
Undique conveniunt, finitâ messe, coloni
Ad plenos calices; sicerae tum flumina longa
Volvuntur, donec mens, pes, et lingua vacillet,
Mistaque densentur potorum corpora, tanquam
Excisae spicae, et frumenta terenda flagello.
Quot venatores exsiccent pocula, lassi
Aut insectando leporem, vulpemve refertam
Mille dolis, cervosque leves, capita alta ferentes,
Quaeris? Quaere etiam, capitis discrimina quot sint
Per valla et sepes equitantibus; atque colonis
Quot mala damna ferant, segetes calcando tenellas;
Quotque obscoena canant, et seditiosa loquantur,
Dum sunt sociis canibus dignissima turba.

Quantam vim *Bacchi* valeant disperdere nostri,
Qui miser ambivit populi suffragia, novit.

Dolli

Dolia nocte dieque fluunt; it clamor ad auras
Potantûm; fiunt ibi rixae, jurgia, pugnae,
Centauros inter quales, *Lapithasque* feroces;
Tentyrave, atque *Ombos*, ubi de cultu crocodili
Disceptaverunt, aut caudâ cercopitheci; †
Excepto, quod adhuc non caeso corpore, ut illi,
Vescamur. Studio nam agrestes partium aguntur
Religione super (vacuae caelestibus ut sint
Mentes) et vino notum est ferveſcere *zelum*.
Hinc exclamatur: Sit sancta Ecclesia salva!
Schismatici pessundentur! pereantque rebelles
Sanguine qui *Caroli* maduerunt Martyris olim!
Aeternum *Ormondus* vivat, redeatque *Jacobus!*
Illinc: *Brunsvici* domus omnia secula regnet!
Sit fictus princeps longè, et Romana tyrannis!
Et, semper vigeat *Gulielmi* gloria magni!
Sternuntur tandem, redolentque cadavera porcos.
Et quos insulsa haec, venalis, et ebria turba
Delegat, statim fiunt sapientia gentis,
Atque novas figunt leges, veteresque refigunt.
O ter felices, quater amplius, et nimis, *Anglos!*
Quos qui tantillo emerunt, non dant quoque venum.

† *Juv. Sat.* 15. 53.

Invidiam,

Invidiam, immortale odium, placidaeque quieti
Quicquid obeſt, nobiſcum etiam pollere videbis.
Teſtor cauſidicos, et tempora quatuor anni,
Judicum iter vernum atque aeſtivum, quanta ſit inter
Agricolas pax, et quam fas et jura colantur.
Immo latrocina, et caedes, et ſtupra nefanda
Invenies ſatis urbe procul (do publica teſtes
Acta) neque eſt quicquam noxae, quâ ruſtica gens ſit
Immunis. Res ut tulerit, peccatur ubique
Pro modulo, et fomes vitiorum eſt omnibus idem.

Quinetiam id vitii, quod non natura, ſed uſus
Addocet, ad noſtros dudum manavit abunde,
Numinis aeterni ſacrum proſcindere nomen,
Diris ſeque ſuoſque, atque obvia quaeque vovere,
Non jumenta modo et pecudes, miſeroſque caballos,
Verum et non animata, ligones, raſtra, bidentes,
Saxa, et vel terram matrem, novêre bubulci.
Et quos, de rebus dignis ſapiente bonoque
Si deſceptetur, credas animalia muta, aut
Infantes ſtatuas; damnatâ hâc in dialecto
Invenies mirum promptos ſermone, pareſque
Mendicis, ſatrapdis, et centurionibus urbis,
Aut *Druraeanae Veneris* qui ſacra tuentur.

Sed-

Sed ſolum fortaſſe locum, mi *Pamphile*, laudas:
Agreſtum labor, et cura, et vitium nihil ad te;
Immunem morbis quaeris, dulcemque receſſum.
Divam ſed nec ubique putes habitare *Salutem*,
Rure ipſo gravis eſt prata paluſtria febris;
Algida quae loca ſunt, validiſque obnoxia ventis,
Tentant pulmones; phthiſis hinc et tuſſis anhela.
Humidiora aequo nemoroſa, et ſunt metuenda,
Siqui ſcorbuto dirove hydrope laborant.
Corporibus ſiccis ſunt noxia vaſta glabreta.
Et quantum exagitet ſcabies montana colentes,
Teſtes, qui longo cenſentur ſanguine *Bruti*
Progenies, et *Niliaci* quos nata tyranni
Rexit, quae *Moyſen* mediis eduxit ab undis.
Tu, quocunque loco degas, quocunque recedas,
Nequaquam poteris corpus ſubducere morbis.

Sed mulcent animum forſan tranquilla fluenta,
Planities amplae, colles, et amoena vireta,
Et zephyri ſuaves, et roſcida gramina campi,
Sylvae frondentes, et florea prata, canorae et
Pictarum voces avium. Sed neſcis, amice,
Aſſiduus rebus laetis quid deroget uſus?
Nec reputas, quod ſit nunquam ſincera voluptas?
Qualia rura putas, torret cum Sirius aeſtu

Arentes

Pentes campos, exuſtaque gramina agreſtûm
Sub pedibus ſtrepitant; ramis armenta reciſis,
Hordei et excocti paſcuntur folliculis, et
Tempus in hibernum foenilia condita rumpunt?
Dulce putas mugire boves ad flumina ſicca?
Dulce videre greges, quibus incubat aeſtus, anhelos;
Et volucres ipſas longo languere ſereno?
Quid memorem nimiis ſubmerſos imbribus agros,
Ventorum rabiem, tempeſtateſque malignas,
Atque ut regnet hyems alienis menſibus atrox?
Sed neque ſunt brumae, quas credis, Pamphile, noſtrae
Tu ſoles puros, matutinaſque pruinas,
Et tenerem glaciem fingis, nocteſque ſerenas,
Ante oculos vanè tu turdos ſiſtis edaces,
Daedala te recreat perdix, et Phaſidos ales,
Et lepus, et ſuſpenſa ad poſtes cornua cervi,
Et quaecunque feras ſectantes praemia captant.
Sed quotaquaeque dies venantibus aequa reperta eſt?
Et praedae fruſtrà quoties inhiabis opimae;
Ac feſſus rediens, madidus, lutulentus, acerbo
Expendes animo, fuerit quam *Delia* dura?
Deque intemperie coeli quam ſaepe querendum?
Ventum atrocem, imbreſque graves, nebulaſque ni-
(grantes
Culpabis: nemo, quibus impendentibus, ultro

E tectis

E tectis ſapiens, et qui ſibi conſulit, iret,
Campi quantumvis cupidiſſimus eſſet aperti.

Suſque haec deque habeas, dum te ſubducere turbae
Urbanae quaeris, ſtudiiſque incumbere ſanctis,
Scriptores verſare probos, deſcendere ſaepe
In tete, atque animo quaſcunque evellere ſpinas,
Culturâque augere aeternae ſemina lucis;
Vivendi cauſas certus praeferre ſaluti.

Digna viro certe ſententia. Sed neque quantum
Credas, propoſito rus conferet. Accipe cauſas.
Tu ſolidas horas, atque integra tempora fingis
Matutina viris longè et latè urbe remotis,
Atque habeat vacuas ne lucubratio noctes.
Interea neſcis, quibus interpellet inepta
Turba ſalutantum nugis haec otia noſtra.
Ardelione ſcatet vicinia ruſtica quaevis
Infeſto, cui ſunt aliena negotia curae.
Percontatores avidos nova quaeque ſciendi
Invenies plures, quam ad foeda cadavera corvos;
Qui, quod contigerit corradere, protinus omne
In gremium primi, mala quem ſors obtulit illis,
Effundunt, horaſque terunt narrando minuta:

Humanae

Humanae gentis peſtes, diriſque vovendae!

Atqui hos effugies fortis, nec comis haberi
Curas. At multum dement tibi temporis illi,
Quos in amicitiam quandam vicinia coget,
Et quibus, invidiam niſi vis conflare, vacandum.
Nam fugienda viris non ſunt ſapientibus iſta
Inter finitimos commercia; poſtulat uſus,
Et monet hoc rerum propriarum cura peritos.
Et non ſunt noſtrae res, ut, mi *Pamphile*, vobis;
Proxima queis ignota domus, fere natio tanquam
Extera; qui ſocios congerroneſque per omnes,
Ut libet, eligitis vicos. Nos (more tyranno
Sic eſt ſancitum) quos fors objecerit, omnes
Hoſpitio accipimus, vetitumque eſt lege negari,
Nec ſolis licet eſſe domi. Quot anilia garrit
Interea tuus hoſpes? Et hoc eſt omne vorandum;
Gaudendum, abſtineat ſi turpibus atque malignis,
Contentus catulos ſolum et narrare caballos,
Quam ſit filiolus vafer, atque arguta puella:
Accedunt menſae protractae, pocula, luſus
Chartis, et choreae; ut vix fures temporis hoſce
Limine ſummoveas, mediae niſi noctis ab horâ.

Oppida ſed fugiam, et loca quaeque frequentia, dices,
Devitans, ſecreta colam, me devia rura
Accipient, vivam latitans, nec cognitus ulli.
Qualia ſed meus hic ſibi ſomnia fingit amicus?
Sic te noviſti? Quotus eſt, cui taedia mentem
Non ſubeant longae ſolitudinis, et ſibi gratus
Eſſe comes queat ipſe diu? Deus ille, quod aiunt,
Aut Daemon fuerit. Qualem te, *Pamphile*, credis?

Ac ſic ſolus eris, ut non commercia plane
Omnia devites; animoque ſubinde ferente
Vicina emporia inviſes, urbemque relictam;
Atque moraberis hic, aut, res ut poſtulat, illic.
Nimirum amphibius fies prudenter, amice.
Quis non vellet idem, cui ſit ſatis otii et ampla
Res? Haec ſcilicet eſt ſententia judicis aequi!
Siccine componis litem rus inter et urbem?
O lepidum caput, et *Rhadamanthi* munere dignum!

Deſinito tandem nugarum, et crede profatum
Ex tripode, et folium recitari, *Urbane*, Sibyllae:
Nuſquam habitare loci requiem, quam quaeris amicam,
Aequus ubi fortiſque animus defecerit. Ille
Solus habet, qui ſorte ſuâ contentus ad arces
Suſpicit aethereas, ad eaſque aſpirat anhelus.

ACTUM

ACTUM FIDEI, &c.

Ad Petrum Taurinum.

AD ſacrum incumbas toto quod pectore verum,
Erroreſque averſeris quaſcunque fidelis,
Impenſe doleas animos caeleſtium inanes,
Ignaroſque viae multum miſeratus ad almos
Aeternae lucis fontes deducere quaeras,
Et lapſos recreare omni molimine pergas,
Jure quidem et merito laudandum cenſeo: Summi
Quippe Dei nomen cultumque hominumque ſalutem
Non reputare aliena, ſibi dum conſulit uni
Maxima pars, et habet nihili prope publica, certe
Indicio eſt animi non ad vulgaria nati.

Laudo quidem; ſed ne tuleris, *Taurine*, moleſte
Liberiùs quid diſpliceat ſi narret amicus:

Nempe

Nempe hoc, quod veri cauſam vi credis agendam;
Cum ſoli fas ſit rationi dedere mentem,
Nec ſit blanditiis, nedum expugnanda furore,
Aut armis aliis, quam quae ſacra ſcripta miniſtrant.

Quae fieri ratione queant, tentanda fateris
Primum; ſed fruſtra ponis tentata: Quid inde
Factu opus eſt, quaeris. Quaero, mi *Petre*, viciſsim,
Vis morte extemplo multari, ſiquis aberret
A vero, et monitis non ſtatim obtemperet? Abſit
Ingenio miti, (nam te nec mitior eſſet
Ipſe *Thales*) dubio procul expectare placebit
Quid fuerit latura dies. Clementia certe
Digna pio! Dabitur menſis, vel forſitan annus,
Aut plures. Quidni quaeſo ſpatia ultima vitae
Quae Deus indulget miſeris? Sed dic ubi ſiſtas?
Compertus cum ſit plane inſanabilis error.
Sed quando deſperandum eſt rem poſſe referri
In melius? Penes illos, dices, judicium eſto
Qui fidei praeſunt. Nimirum cognitus illis
Divinae finis patientiae et omnipotentis
Gratiae, et excidio cum ſit matura phreneſis!

Sed

Sed placet errantes levius mulctare, nec uno
Impetu ad horrendam cenſuram aut ultima ferri.
Plectantur ne diſpereant: Ita poena ſalubris
Fiet; ut in morbis adhibent medicamina ſaeva;
Caſtigatque Deus quos vult ſervare benignus,
Ut ſecum reputent quales ſcelus exigat atrox
Poenas, juſtitiam diſcant, et vela retrorsum
Dent moniti meliora, ſacriq; ad limina veri
Contendant, dum vita et idonea tempora conſtant.
Sed qualis medicus, qui, dum collyria poſcit
Res, minuat caput, aut ſanum crus amputet aegro?
Anne eget *Anticyrae* minus *Archigeniſve* periti
Qui vellet mulctis tenebras diſpellere mentis?
Nec facere a vobis credas, quod amore paterno
Corripiat numen quo corrigat, atque miſellis
In melius mutet mores. Sic excitat alto
E ſomno, et properat ſtupidos arcere veterno.
Hoc agimus, dicas, illumque imitamur. At oro
Siſte parumper: Iis ſolis iraſcitur ille,
Quos ignavia conſiliumve e tramite flectit,
Non mera quos urget dilecti inſcitia veri:
Doctoris blandi ad morem, qui ſponte volentes
Diſcere, nil ſaliat quamvis in pectore, ferre
Aſſolet, et ceſſatores proſcindere ſolos.

Vos contra, qui non capiunt, aut credere fingunt
Quod vobis libitum eſt, plectendos vultis acerbe,
Sint quamvis ſtudio veri flagrantia corda.

Hoc tantum ſimulant; nec percutiuntur amore
Sincero veri. Si res ſe ita haberet, amice,
Re, fama, libertate, et vel ſanguine ſacra
Non facerent vero; ſed vobis morigerari
Scirent, atque irae ſeſe ſubducere veſtrae,
Et prae ſe ferrent recte ſentire, tyranno
Inſtante, atque igne admoto dictante quid eſſet
Credendum. Nam quis tulerit diſpendia rerum
Cunctarum mendax, fallaxque imitator honeſti?
Detraherent certe perſonam extrema dolorum.
Sed famae ſtudio ducti fortaſſe tenaces
Sunt pravi, atque animo faciunt haec ſacra ſuperbo:
Credat Judaeus! Sed ſi foret unus et alter
Tam cupidus famae quam inſanus *Eroſtratus* olim,
Perrari fuerint, et vix numero totidem quot
Articuli fidei ſanctae, aut veneranda ſenatus
Nomina Apoſtolici. Sed millia plurima ſcimus
Vivendi cauſas auſos praeponere vitae,
Quos et larvatos dixit ſcelerata tyrannis,
Et ſic humano generi praecordia ficta

Ut vitam impendant laudi tituloque perenni,
(Quaeque etiam vix conſequitur millenus in illa
Turba) vix credam: certe ſincera putanda
Corda illis, quos non terreret taeda *Neronis*,
Et queis dictaret *Phalaris* perjuria fruſtra.

Ut ſint ſinceri, teneant ſi dogmata prava
Mordicus, atque negent quod ſancta Eccleſia ponit
Credendum, miſeri, hoc tamen haud obſtante peribunt.
Ipſe aliter ſane de numine ſentio. Sed ſit:
Fas ideo eſſe putas ut ſub tortore perire
Ante diem cogantur, et anticipare futuras
Inferni poenas? Quaenam haec clementia? Sed nos,
Reſpondes, non hoc agimus; ſed forte redire
Ad ſanam ut poſſint mentem caeloque fruantur:
Atque intellectum vexatio forte datura eſt.
Firmabit tantum mentem, quae conſcia recti eſt
Et fortis; miſeros aget in perjuria plures.
Atque hos quam ſancta eſt habitura Eccleſia membra
Qui ſunt et *Turcae* ſimili ratione futuri!
Quiſquis enim ſenſum mutat formidine poenae,
Inſtitui coepit mendax, atque impius exit.

Sed

Sed virtute Dei poterint bene cedere poenae,
Imo et ceſſerunt. Quid factum dicere non eſt
Nobis queis hominum ſunt invia corda. Sed eſto,
Ut quis tormentis verum didiciſſe putetur.
Quo bona proveniant mala cenſes tu facienda?
Corpus, rem, famam, ſunt et quaecunque propinqui,
Vult rerum Dominus praeſtemus ut integra, quantum
In nobis, et ut accipiamus pectore toto
Humanum genus omne, et eos ut noſmet amemus;
Utque ipſis inimicis ſimus et hoſtibus aequi;
Ut noſtri rationem habeat, cum venerit olim,
Addicetque piis vitam, flammaſque malignis.
Quod ſi, cum cuiquam bene forte injuria vertat
Ad nutum illius, cui peſſima quaeque miniſtrant,
Inſontes ſtatim fas ſit quem laedere, quidni
Hunc etiam dicant fures, *Taurine*, colorem,
Et graſſatores, capita et devota tyranni,
Imo etiam *Judas*, et qui damnavit *Ieſum*?

Innocuos ſcelus ut fuerit violare propinquos,
Implicitos errore malo punire jubemur.
Privati? Non. Pontifices? Caeleſtibus armis
Utantur ſolis. Quinam ergo? Summa poteſtas
Quos penes: Officii paſtores hos moneant, et

Votis

Votis auxilio fuerint quicunq; fideles,
Participes etiam laudis facti bene? Sic eſt.
Et culpae ſi ſit ſecus? Eſto. Quaeſtio ſumma
Haec eſt, et jugulum cauſae. Te judice regum eſt
Illaeſam ſervare fidem divinitus illis
Conceſſo gladio. Nam ſcriptis nemo negabit,
(Regius ut quondam adverſarius ille *Lutheri*)
Exemplo et monitis: conferre et munera fas ſit.
At male credentes infami plectere poena
Principis eſt, inquis. Sed quaeſo cujus? An omnis?
Non, ſed qui pius eſt. At cur non Ethnici, et *Ari*
Dogmata qui ſequitur? Quia propugnacula leges
Sunt fidei, nequaqam erroris. Sed ſibi nemo
Errat; eoque ex ore tuo, *Taurine*, tenetur
Vi proferre fidem quamcumque amplectitur ipſe:
Sin minus haud probus eſt, nec munere fungitur. Atqui
Non debet. Sed ſi credit debere, perinde eſt.
O quam tu belle fidei jam conſulis, actum
De qua nempe propaganda his rationibus eſſet
Omnino, quia ceſſarunt miracula dudum!

Ut ſit, contendas, rationem pacis habendam.
Quae, rogo, pax illis quibus inquiſitio fervet?
Quaeque futura illis ubi jam revocavit amaras

Borbonius leges? Pax an ſolitudo vocanda eſt?
Nonne loco haereſeos craſſa ignorantia regnat?
Scire autem nihil eſt melius quam credere prave.
Hoc hominis? Satiuſne putes neſcire parentem
Rerum, *Meſſiamque* ſuum, fonteſque ſalutis
Quam de divinis incautum errare quibuſdam?
Id minime reris. Tantum hoc vis: rebus in illis,
In quibus haud prorſus pendent momenta ſalutis,
Ignoret potius vulgus quam judicet: Omnis
Accedat populus regi, aut cui cura ſacrorum eſt.
Hoc monitore colant, atque hoc myſteria credant,
Ne pacem violent, et coetum ſchiſmata laedant.
Privatos quoſque haud dubio, vis nomine vulgi,
Ex quocunque luto fuerint praecordia ficta:
Cunctis dictetur quid credant, et quid adorent.
Excipiantur, ais, credi quaecunque neceſſe.
Quaenam haec ſint quaeſo dicas. Quis judicet? Haeres.
Ipſe procul dubio princeps, clerive poteſtas.
Et ſic *Taurinus* ponit quae dempſerat ante;
Atque homines penes eſt qua norma et jure colamus,
Non mentem propriam Chriſti praecepta tuentem,
In quibus eſt alium prorſus neſcire magiſtrum.
Hoc jam, pace tua, eſt hominis, Chriſtumve colentis?
Exclamare libet, Scripturas quo mihi ſacras,

Quo

Quo mihi judicium, ſi non conceditur uti!
" Hoc Dominus voluit. " Fruſtra ergo diſputo. Recte.
E divertculo redeamus. " Juſſit amicum
" Humano generi numen punire negantes
" Quod res eſt fidei. " Sed conſule foedus *Ieſu*.
Ferre crucem certe, ſed quando imponere juſſit?
Conſule apoſtolicos ſcriptores; conſule, ſi vis,
Primaevoſque patres; *Conſtantinoque* priores.
Quis gladium fidei contenderit eſſe patronum?
" Judaici ſed juris erat concidere prorſus
" Numen qui fictum colerent, verumque negarent. "
Et merito; laeſa de majeſtate quod eſſent
Damnati: *Jovam* quippe imperium penes unum
Iſraele ſatis fuit, in ſpectantibus ad res
Civiles ipſas. Non ſic reſpublica noſtra,
Non Chriſti regnum conſtat. Terreſtia miſſa
Noſtra ſalus fecit, regnatq; in cordibus unis.
" Sed Solem colere, aut Lunam, rem judicis eſſe
" Aſſerit *Uzzaeus*, non natus ſemine *Jacob*,
" Ante datam *Moyſi* legem. " Quod ſentio dicam.
Nititur huic uni effato ſententia veſtra:
Et multum refert etiam atque etiam aſpiciatis
Ne, ſpecie recti, deceptis dira tyrannis
Obrepat. Nimirum furta, homicidia rite

Imputo

Imputo, ſi princeps homines violaverit unquam
Numinis injuſſu, moneat vel talia quiſquam,
Aut laudet factum, ſic culpae participatur.
Cujas *Jobus* erat, quo tempore vixerit, et quis
Scripſerit hiſtoriam (vel, ſi placet, eſto poema)
Et critici certant, et adhuc ſub judice lis eſt.
Sed veri ſimile eſt (En aequum vera fatentem!)
Moyſem ante, et *Pharii* regnum vixiſſe tyranni,
Et voluiſſe etiam plectendos aſtra colentes.
Nam quaecunque effatus erat retuliſſe fidelem
Hiſtoricum nulli dubitamus. Protinus ergo
Admittis, quaeſo, quod dixerit omnia recte?
Et quidni? Dicas, zelo vel bile tumeſcens.
Ne ſaevi; at patiens quid amicus ſuggerat audi.
Certe aliter juvenis ſenſiſſe videtur *Elihu*
Infenſus *Jobo*, nimium ſibi ſcilicet aequo,
Juſtitiaeque Dei, cum cor flagraret, iniquo.
Quid quod et ipſe Deus de turbine dixit *Iobo*,
Quis qui conſilio tenebras offundere geſtit?
Ipſeque ſe quae neſcivit fudiſſe fatetur.
Eſto tamen recte quod ſenſerit: At Patriarchis
(A quibus, haud dubio, qui numen rite colebant,
Et ſapere et fari didicerunt) non eadem lex,
Non iidem mores, quos imperat ultimus ille

Praeco

Praeco voluntatis divinae, ſummus *Ieſus*.
Do teſtes veterum libamina, teſtor et aras,
Et lucos, et res uxorum, et ſanguinis eſum.
Abramides nobis exempla per omnia non ſunt,
Nobis, qui *Chriſtum* perfectum exemplar habemus,
Agnum nempe Dei, facilem, mitem, atque benignum;
Quo procul omnis erat contentio, clamor, et ira:
Cui tantum expreſſit lacrumas incredula turba;
Diſcipuloſque in ſe monuit deſcendere, flammas
In male credentes cum caelo arceſſere vellent:
Inſtruxitque armis non hujus ſaeculi, at illis
Multum diverſis; nimirum Spiritus alto
Demiſſus caelo quae preaſtat; et induit illos,
Quos evangelicum miſit narrare ſalutem,
Divina virtute omni, qua ſubdere mentes
Imperio ſacri veri, et qua ducere magnos
De Satana poſſent, et mundo, et carne, triumphos.
De cruce multa quidem ſcimus memoraſſe; manere
Nimirum aerumnas illis ſaevoſque labores,
Sed nunquam gladium fidei meminiſſe miniſtrum.

At ſi plectendos Solem Lunamq; colentes
Dicamus, quid deinde? Pari ratione ſequetur
Eſſe advertendum in quamcumque idololatriam?

Qua poena? Mulctis, vinclis, vel denique morte?
Ut viſum fuerit, qui rerum flectit habenas.
Hoc *Jobum* voluiſſe putas. Sed quaerere fas ſit
Porrum et caepe ſcelus colere eſt, ut lumina caeli?
Quis dubitet? Frumentum etiam vitiſque liquorem? 250
Quidni? Sed quorſum haec? Caveant quibus abſona miſſae
Monſtra placent, paniſque Deus. Sed dogmata, dixti,
Prava ſequens pacem violat. Luat ergo, modeſte
Qui neſcit ſeſe gerere et componere. Turbas
Civiles, placidae et quaecunque inimica quieti,
Plane averſatur recti mens conſcia; et arcet
Acre et ridiculum pariter dum ſeria aguntur.
Publica praecipue opprobria, et convicia linguae,
Et quicquid cieat populum, vel mordeat illos
Qui rebus praeſunt, odit cane pejus et angue. 260
Si quid inurbane, aut pluſquam civiliter audét,
Non dico cauſam quin culpam poena ſequatur.

Sint licet innocui, ſed publica commoda, dicas,
Privato juri ſunt anteferenda. Cavendum eſt
Principibus, nequid capiat reſpublica damni:
Sic concluduntur, dira qui peſte laborant;
Sic ſuffocantur quos inſanabilis urget
Hydrophobia; domos ſic ſane jure jubemus

Pulvere

Pulvere proſterni pyrio, ne ſcilicet igne
Et longe et late vicinia tota laboret.
Serius haec? Adeone putas mala publica, ſacra
Qui diverſa colunt illis quae purpura ſanxit,
Hoc ſolo, inſontes cum ſint, et caetera ſancti,
Atq; obeant inculpati omnia munia vitae;
Ut fuerint patriae peridonei, et utiliores
Bellorum et pacis rebus pleriſque? Ego laevus
Tales, mi *Taurine*, bonum commune putaram,
Et, cum ſint rari, pretio quovis coemendos,
Non ablegandos tanquam purgamina rerum.
Cum pateant aditus ſumma ad faſtigia ſcurris,
Extremae ſortis nebulonibus, atque cinaedis,
Dum de dogmatibus nil diſſentire receptis
Contingat, nec ſint cives qui libera norunt
Senſa animi proferre, haud auſi oppedere bardo
Sacrifico, at gaudent jurare in publica verba.
Parce ignoranti quae quantaque commoda ſecum
Afferat ad nutum colere et ſentire regentis.

Porro, quam metuo ne det contagio labem
In plures, utcunque, manus adhibendo ſeveras,
Dent operam medici, atque afflatos tollere curent:
Enſe recidatur licet *immedicabile vulnus*,

Vix

Vix cautum ſatis eſt, *ne pars ſincera trahatur.*
Quid ſuper hoc habeam, niſi quid te detinet, audi.

Si recte ſentit, multum diverſa profeſſus
Illis quae juſſit princeps, et vulgus adorat,
(Atque hoc ponendum nunquam, quis dixerit?) annon
Eſt in ſupremi tutela numinis? Etſi
Non viſum fuerit ſapienter cuncta regenti
Eripere inſontem morti, ſi praeda leoni
Deciderit juſtus ſaevo, fueritve redactus
In cineres, auſus vel vitam impendere vero,
Ipſa de cauſa credas tu protinus actum?
Fruſtra navabunt operam ſtudiumque tyranni;
Incaſſum vulgus certe fremet; irrita fient
Vota ſacerdotum et molimina ſubdola; fruſtra
Tartareae turmae princeps acheronta movebit.
Namque *uno avulſo*, haud defecerit *aureus alter*
Ramus, et ut *duris detonſa bipennibus ilex* *,
Sic et *opes animumque* eccleſia *ducit* ab ipſo,
Per damna et caedes, ferro †; ſic conſita crevit
Sanguine priſcorum quem fudit dira tyrannis.
Nec deerit vero veri pater atque patronus,

---

* VIRG. † HOR.

Quem

Quem contra quis ſtare aut obvius ire valebit?

At ſi fortem animum praeſtant erroribus, ergo
Tunc una peritura putas mendacia morte
Multatis? Clamat certe experientia contra,
Et mores hominum: Proprium quin conſule pectus.
Mollia ſunt nobis corda, et miſereſcimus ultro
Illorum quos damnamus, queis parcere fas et
Optima jura negant. Cedo, ſi ſub judice iniquo
Immeriti cecidere, aut ſit flagrantior aequo
Principis ira, aut poena levi ſit crimine major;
Nonne iram aut gemitu, aut lacrumis teſtamur obortis?
Spes veniae affulget? Quanta dulcedine captos
Afficit illa animos, quantaque libidine vulgi
Auditur per praeconem clementia regis?
Sin etiam malefactorum miſeratio tangat,
Quid fieri credas, cum ſervantiſſimus aequi,
Vir bonus et prudens, mitiſque, et caetera juſtus
Hoc uno pereat, quod quae ſibi vera videntur
Ejurare timet, ſummumque laceſſere regem,
Qui fucum et quaevis mendacia damnat et odit?
Humani momenta animi neſcire videntur,
Non advertentes cieant qui talia vulgum,
Cum pietate gravem et meritis conſpexerit, inter

Vicinos

Vicinos ſemper facilem, comem, atque beginum,
Quem norunt orbiſque patrem, viduiſque maritum,
Arbitrum et integrum, quem nunquam gratia flexit,
Inter nocturnos fures, vileſque latrones
Compedibus vinctum, et tenebroſo in carcere clauſum,
Sed non eſt noſtris complecti ut verſibus optem
Quantum incandeſcant, quaeque indignatio mentes
Spectantum ſubeant, cum tanquam peſſima monſtra,
Carnificum gladio, aut laqueo, flammiſve nefandis
Traduntur ſceleris puri, quia fingere nolunt
Quod nequeant ſentire, aut ſenſum diſſimulare.
Praecipue (ut ſaepe eſt) placide morientibus, atque
Inconcuſſo animo, et quaſi praelibante futuri
Delicias ſecli juſtoſque pioſque manentes.
Saepe quidem plaudit vulgus, ſed plaudit et odit
Damnantes non damnatos. Sed ſit ſecus illis
Queis cor molle alias jam longo obduruit uſu;
Haud deerunt certe miſerati, indigna ferentum:
Atque malae cauſae ſi magna audacia praeſto eſt
Credetur multis animi fiducia recti;
Atque placere Deo teſti cauſamque virumque.
Haereſin hiſce modis perges contundere fruſtra,
Succreſcentque novi exciſis ſerpentibus Hydrae.

Conſilium porro ut votis reſpondeat iſtud,
Atque patrum contra conſulta vel hiſcere nemo
Audeat. Expendas etiam atque etiam, oro, quid inde
Accreſcet fidei. Non diſſentire ſtatutis
Ritibus, et non ferre palam contraria vero
Si ſatis eſt, potes annumerare fidelibus illos
Quive nihil credunt, aut vafri ſenſa recondunt.
Vis agit hoc unum, ut genus irritabile clerum
Cautus quis vitet, non ut diſcedere vellet
Senſo. At nequaqam poenis his conſulis illis
Qui ſunt haereſeos manifeſti: Perdita prorſus
Sunt capita, atque orco ut primum tradenda; ſed illis
Qui ſancte educti, ne fraudibus illiciantur
In Satanae caſſes, et fiant praeda Gehennae.——
Agnoſco zelum: Aſt iterum quo jure requiro
Haec fiunt? Addam, non defenſoribus iſtis
Cauſa eget, at, ſacrae rationi innixa, valebit
Adverſus quaſcunque ſtrophas fraudeſque doloſque
Sinceri indubitata Dei ſi juſſa capeſſunt,
Atqae in vota vocent numen poſcentibus aequum
Et facilem: Hoc etenim certus promiſit *Ieſus*
Qui ſic ducet oves, erroris ut exitialis
Fiant immunes, aeterni ad limina veri.

Sed curvas in terram animas, quae pectore toto
Incumbunt rebus nihili, et caeleſtia ſpernunt,
Si recte curant quibus eſt commiſſa poteſtas,
Non de dogmatibus, vel ritibus ante monebunt
Quam vitia exuerint funeſta, et ad optima ſpirent.
An referre putas quicquam quid diſputet, aut quid
Sentiat a vitiis nulla virtute redemptus?
Cui Divo ſeſe addicat de tramite recto
Quem tranſverſum agit, et ducit mala quaeque libido?
Hi tamen illaeſi degunt; imo hos fovet omnes
Involvitque ſinu myſtarum ſacra poteſtas.
Saepe his auxiliis inititur, et ſcelus ipſum
Haud raro eſt fidei cuſtos rigiduſque ſatelles.

Quidnam igitur fidei praeſtandum reſtat? Id omne
Quod fiat ratione, et ſalvo jure propinqui.
Legibus emendent mores qui ſceptra tuentur,
Exemplo praeeant ſancto, cui maxima vis eſt,
Et caveant ne ſit fraudi proferre modeſte
Senſa viris; animoſque addant doctiſque probiſque
Pro moduloque laboret idem quicunque, fidelis.
Hoc agitent etiam vita votiſque miniſtrant
Quicunque in ſacris, monitiſque frequentibus. Orent
Atque obteſtentur per numinis iram et amorem,

Per

Per quicquid ſanctum et charum eſt mortalibus uſquam
Se ut reputent homines, quos ſeparat a grege muto
Mens, animus, ſenſus caeleſti tractus ab arce. Et
Cum ſe tollere humo divinae cœperit aurae
Particula, ad chartas jubeant accedere ſacras
(Inde peti fidei normam cultûſque monentes)
His evolvendis incumbere nocte dieque
Impigre, et innixos divina ope ſæpe vocanda;
Quam certe nunquam fruſtra pia vota requirent.
Molis magnae opus! at veſtri compendia norunt,
Quodque viri ſancti ſudore et ſanguine fuſo
Effecere olim, brevior via conferet illis,
Nimirum inſtantis vultus gladiuſque tyranni.

Errorem forſan non optes morte piandum.
Agnoſco *Taurinum* animi mitem atque benignum;
Et ſaevum omne malae jure imputo religioni,
Quae rapit in furias molliſſima, caetera, corda.
Sed dic quid diſtent infamia, ſtigmata, carcer,
Exilium, remi, direptio ſaeva bonorum,
Et quaecunque vetant humanam emergere mentem,
A morte, et quanto fuerint leviora putanda?
Hoc ſi tranſieris; inſto. Qui jure docentur
Torqueri male credentes hoc nomine ſolo,

Ulterius

Uterius pergent sensim, tandemque ferentur
Praecipites, ut saxa jugo quae sistere non est.
Istaque, quae non sat cautus quis semina jactat,
Se tollent *Acta* in *Fidei* stragesque nefandas.

Mitior at dicas nihil arridere severi;
Hoc tantum velle, ut quos recte credere constat
In sacris, rebus praesint civilibus uni, et
Hac saltem fidei fas sit ratione cavere.

Sed quo constabit? Jurent in publica verba.
Hoc Atheus nolit? nolint vitia ultima quaeso?
Quo sacramento renuant obstringere sese
Queis prae terrenis sordent caelestia quaeque?
Atque notae melioris credas esse fideles
Emptos muneribus, per vimque iramque coactis?
Huic etiam (aut fallor) naturae jura reclamant,
Civibus ut fidis demas civilia quaeque.
Jura magistratus privatis esse negabis.
Fortibus atque bonis sed magna injuria fiet
Si qua magistratu lex arceat, et nota inusta
Sit sola fidei causa, cui quis moderetur?

Disceptandi autem subeunt jam taedia. Tuque
In nobis studium fidei fortasse requiras,

Et

Et tepidos res divinas non pendere magni
Forſan opinaris. Nos contra charius eſſe
Vita clamamus verum; ſed non violandum
Jus cauſa ipſius veri pertendimus. At ſi
Non ratione, at ſuſpicionibus eſſet agendum,
Quod non immerito quis forte retorqueat hoc eſt;
Durarum legum auctores ſibi conſuluiſſe
Nimirum, haud Chriſto, quodque ille redemit ovili.
Abſit ut hoc de te: tibique hoc ſolamen habeto.
Non poenis opus, ut valeat, quam ſumma poteſtas
Sanxit, religio; pecudum nam more ſequuntur
Ductores vulgus. Rarus qui credere quid fas
In ſacris ratione viam praeeunte requirit.
Nempe uſum penes eſt, et jus et norma colendi.
Et cur hi *Chriſto* numerentur, & hi *Mahometi*,
Illi *Confucio*, vel quam colit *India* turbae,
Sorti debetur naſcendi. Forti animo eſto,
Salva eſt res, eccleſia veſtra immota manebit!
Et flocci facias, ſi vafri dicere pergent,
Quisquis fortuito ſortitur religionem,
Quemve Deum colat, aut quo ritu nemo laboret.

Uterius pergent sensim, tandemque ferentur
Praecipites, ut saxa jugo quae sistere non est.
Istaque, quae non sat cautus quis semina jactat,
Se tollent *Acta* in *Fidei* stragesque nefandas.

Mitior at dicas nihil arridere severi;
Hoc tantum velle, ut quos recte credere constat
In sacris, rebus praesint civilibus uni, et
Hac saltem fidei fas sit ratione cavere.

Sed quo constabit? Jurent in publica verba.
Hoc Atheus nolit? nolint vitia ultima quaeso?
Quo sacramento renuant obstringere sese
Queis prae terrenis sordent caelestia quaeque?
Atque notae melioris credas esse fideles
Emptos muneribus, per vimque iramque coactis?
Huic etiam (aut fallor) naturae jura reclamant,
Civibus ut fidis demas civilia quaeque.
Jura magistratus privatis esse negabis.
Fortibus atque bonis sed magna injuria fiet
Si qua magistratu lex arceat, et nota inusta
Sit sola fidei causa, cui quis moderetur?

Disceptandi autem subeunt jam taedia. Tuque
In nobis studium fidei fortasse requiras,

Et tepidos res divinas non pendere magni
Forſan opinaris. Nos contra charius eſſe
Vita clamamus verum; ſed non violandum
Jus cauſa ipſius veri pertendimus. At ſi
Non ratione, at ſuſpicionibus eſſet agendum,
Quod non immerito quis forte retorqueat hoc eſt;
Durarum legum auctores ſibi conſuluiſſe
Nimirum, haud Chriſto, quodque ille redemit ovili.
Abſit ut hoc de te: tibique hoc ſolamen habeto.
Non poenis opus, ut valeat, quam ſumma poteſtas
Sanxit, religio; pecudum nam more ſequuntur
Ductores vulgus. Rarus qui credere quid fas
In ſacris ratione viam praeeunte requirit.
Nempe uſum penes eſt, et jus et norma colendi.
Et cur hi *Chriſto* numerentur, & hi *Mahometi*,
Illi *Confucio*, vel quam colit *India* turbae,
Sorti debetur naſcendi. Forti animo eſto,
Salva eſt res, eccleſia veſtra immota manebit!
Et flocci facias, ſi vafri dicere pergent,
Quisquis fortuito ſortitur religionem,
Quemve Deum colat, aut quo ritu nemo laboret.

Enthuſiaſmus
SERMO.

---*Jactant Miracula dictis.* Lucret. 4. 596.

Et quod non didici ſane neſcire fateri.
Hor. de Arte Poet.

ENTHUSIASMUS

VErborum vires non raro expendat oportet
Qui volet, aut ſapiens audire, aut vivere felix.
Nam quantum indoctis agitent praecordia vulgo
Nomina jactata, et quae vix millenus in illo,
Cum fuerint medii plerumque vocabula ſenſus,
Fortaſſis capiat, pauci obſervare videntur.
Haereſis exemplo ſit, *Schiſma*, *Superſtitio*que
Idque quod, hexametris ut non ſit dicere promptum,
Enarrare aveo, coeptis ſi, *Pamphile*, amice
Annueris, vacet incultis et adeſſe Camoenis.

Afflatos olim et correptos Numine vates,
Spirantisque Dei inſtinctu divina locutos
Credimus: inde fidem meruere oracula ſacra.
Sed poſtquam immanis fictorum turba deorum
Incubuit terris, quos enumerare pigeret!
Templa, ſacerdotes exinde, et caetera ſacra

Insanâ cultorum operâ sucrescere vidit
Aetas deterior: Tunc et responsa dedere,
Si qui consulerent, praecordia numine plena
Credentes aut fingentes se credere mystae.
Aemulus an *Jovae Satanas* invaserat artus,
Aut fucum facerent vafri, non disputo, non est
Hujus nempe loci. *Fanaticus* iste sacerdos
Dictus erat, qui concepit sub pectore numen.
Jam sortitur idem nomen commercia quisquis
Cum caelo prae se tulerit: sic audit et ille
Dogmata qui sequitur captorum mente, malaeve
Artificum fraudis, sibi qui caelestia sumunt
Tradenda injussi, nec testem numen habentes.
Hinc variis sectis, nec certe injuria, inusta est
Haec nota, quod metuant jus non divinitus ortum,
Sed quod tradiderint vel laesi mente, vel illi
Praestigiis probe qui nôrant imponere vulgo.
(Quin impostores ipsi sibi credere tandem
Incipiunt, error simul inveteraverit, hasque
Exegit persaepe planis astutia poenas)

Congressum *Egeriae* finxit *Numa*: fluxit et inde
Religio totum fere circumfusa per orbem.
Ficta fidem fecit *Mahometi* lapsa columba

E coelo,

E coelo, morbuſque caducas, et inde propheta
Audiit eois mirum venerandus in oris.
Chriſticolis poſſent etiam haec opprobria dici
Jure quidem ac merito, ſi non divinitus eſſent
Inſpirata fidem complexa volumina ſanctam.
Sine qui negat eſſe Deum, quo cuncta moventur,
Aut vates unquam divina fuiſſe locutos,
Hic flocci faciat quaecunque oracla neceſſe eſt,
Religioque erit huic, furor et fanaticus, unum.
Atque hoc *Graius homo*, cecinit quem carmine *Carus*,
Non temere pedibus ſubjecit Religiones.
Sin autem certo Deus eſt, humanaque curat,
Et ſi affiare animos indignum numine non eſt,
Quaeque Deum decuit conſtat fudiſſe prophetas,
Atque his firmandis, mortalibus haud data prorſus,
Purima patarrint; certe qui talia credunt
Inſanos fruſtra reputes, animive minuti,
Aſt illum potius qui ſugillare ſit auſus.
Res tandem huc recidit: ſi, quem veneramur, *Ieſus*
E tumulo vere emerſit, ſententia noſtra
Conſona erit vero; ſi non fanaticus error.
Cujus et inſimulet porro quis jure fideles
Ipſos, ſi propri deliramenta cetebri
Adjiciunt illis quorum eſt caeleſtis origo.

Hoc erráſſe quidem *Judaeos* novimus olim;
Sint ficti vates atque impia *Cabbala* teſtes,
Queis praecepta fere fecerunt irrita caeli.
Hujus et argueris plures de nomine *Chriſti*
Dictos. Fabellis fuerit quam credula ineptis
Chriſtiadum gens priſca quis eſt qui neſciat? ipſum
Impoſtura ſacrum vexavit callida coetum.
Ante obitum primorum *Chriſti* diſcipulorum,
Hoc memorant ipſi, atque monent perſaepe cavendos
Grandia qui loquerentur, et admiranda patrarent
Praetextu afflatus divini. Seecula porro
Deteriora magis ſcatuerunt fraudibus iſtis:
Et tandem immenſam in molem pia fabula crevit
Ut jam vix portes centum mendacia plauſtris
Pontifices plebi quae mox ſorbenda propinant.
O quoties et quae ſanctis eſt *Virgo* locuta!
Amplexu dignata etiam quos unice amaret!
Aſtitit et quoties divinus nuncius illis
Non obſcurâ nocte modo ſed luce ſub ipſâ?
Quid quod reliquiae ſanctorum, aut arida fruſta
Corporis, aut panni laceri, vel particula ipſa
Tot tactu morbos ſanaverit, atque fugârit
Daemonas, ut non ſit numeris confícta referre?
Immo *Reformatos* hâc tactos peſte quis ibit

Inficias

Inficias ſanus, vel qui res aeſtimat aequus?
Illos imprimis nigro carbone notandos
Cenſeo, qui furiis agitati ſeditiones
Bellaque dira movent, edunt ſtrageſque nefandes,
Attribuuntque Deo, quaſi peſſima quaequae monenti.
Quicquid in hoc conſtet noſtros peccâſſe, dolemus:
Objicienda tamen nobis ſunt parcius iſta
Illis qui ponunt, inſtinctu numinis, eſſe
Sancitum ut reges, qui ſe ſubducere *Myſtae*
Audent Romano, multentur morte, merentes
Aut exturbentur regno. Nam conciliorum
Sic decreta ferunt, quibus olim ſpiritus, alto
Demiſſus caelo, nimirum praefuit; atque hoc
Credendum cuicunque pio, cuicunque fideli!
His addas merito qui vi vel fraude propinquos
Afficiunt, ducique volunt ſe numine caeli:
Cum numen ſummum non ſit manifeſtius eſſe,
Quam non poſſe malo fieri cuicunque patronum.

Sunt alii, quos nulli infeſta inſania ludit,
Qui ſibi cum caelo quae non commercia fingunt:
Atque ſibi plaudunt tanquam chariſſima Divis
Sint capita, atque quibus caeleſtis turma miniſtret
Praeſens, ut quondam patriarchis credimus. Hi ſunt

Felices

Felices errore ſuo. Sic nobilis ille
Argivus *Flacci* " miros audire tragoedos
" In vacuo ſolitus ſeſſor plauſorque theatro:
" Caetera qui vitae ſervavit munia recto
" More, bonus ſane vicinus, amabilis hoſpes,
" Comis in uxorem, poſſet qui ignoſcere ſervis. *
Hos omnes ſectae unius non eſſe memento:
Hiſtorias teſtor veterum, atque recentia facta.
Nempe eadem cunctis natura humana, et iisdem
Corporis atque animi vitiis obnoxia: nec quis
Argutus poterit judex exponere cur hic
Ardeat, atque alius ſtupeat, ſit compos et ille
Mentis, et inſtituat vitam ratione. Profecto
In cauſâ non eſt quod quis ſit deditus hiſce,
Aut illis ſacris: nam ſtultorum omnia plena,
Quae ſacra cunque colant, etiam ſi nulla verentur.
Et quamvis proprie dictus fanaticus haud ſit
Qui negat eſſe Deum, vel ei mortalia curae,
Excordem merito dicas. Dementia certe eſt
Aeque negare Deum, ac praeſentem credere falſo.

Non vereor credas inſanos inter habendos
Qui veniente die, qui decedente, futuri

* Hor. Ep. 2. Lib. 2.

Gaudia

Gaudia praelibant immenſaque praemia ſecli.
Si certe ſtatuiſſe negâris numen amicum
E vita demigratis ſua munera juſtis;
Idem omnes motus animi caeleſtia laetos
Spectantis ſani eſſe hominis quoque jure negabis.
At ſi non omnes morimur, ſi forte ſuperſtes
Particula eſt *aurae divinae* corpori humato,
Caelicolumque choro aeternum eſt miſcenda beato;
Noctes atque dies tantis haerere frequentes,
Et verſare animo, fuerit fanatici? An ille
Non feret inſani nomen, qui talia totus
Negligit, invigilans nugis, perituraque curans?
Ut ſit certa ſalus, dicas, merceſque piorum,
Inſanire neges illos qui, rebus omiſſis
Ad vitae cultum ſpectantibus, ad ſacra ſola
Incumbunt? Eat inficias quis ſanior, oro?
Religionis enim eſt quaecunque domeſtica curs,
Eſt et civilis. Sus deque habet iſta bonorum
Nemo: ſed ſiquis, magno perculſus amore
Sacrorum, propriae res negligat, huic vitio ſit
Vertendum. At quotus eſt qui tali errore laborat?
Sin hoc quis faciat, recta ratione relictâ,
Divini obtentu inſtinctus, fanaticus eſto.

Chriſticolis

Chriſticolis hanc forte notam ſed ſiquis inurat
Omnino referant accepta quod intus agenti
Spiritui quodcunque pie, quodcunque modeſte
Fortiter et recta fuerit ratione peractum,
Cum potius propriae haec foetus ſint mentis habenda
Quid ſuper his habeam dicendum fuſius. Olim
Philoſophos conſtat longe diverſa locutos,
Quod veterum libros occurrit ubique legenti.
Teſtor *Socraticos*, *Stagiritam*, altumque *Platonem*
Et *Senecae* libros, ſummique volumina *Marci*,
Arbitrione boni proprio ſint, ſorteve quadam
Divina, diſceptantes, preecibuſne petenda
Mens ſancta et prudens, an ſit ſibi cuique paranda.
Nec poſtquam mundo affulſit lux publica *Ieſus*
Inter Chriſtigenas agitari deſiit iſta
Quaeſtio. Nunc etiam ſacra ſcripta citantur utrinque.
Et quamvis conſtet bona quae ſunt cunque protecta
Caelitus, a non converſo genitore diei,
Et mala quaequae virum pravis e mentibus orta;
Reſtat adhuc *nodus* divino *vindice dignus*.
Sunt qui prae ſe magna ferunt, et cernere acutum,
Arbitrio, aut fato, tribuentes omnia, quamvis
Illis ſit verbo tenus agnita gratia, et illis
Libertas, detorquentes oracula ſacra.

Atque

Atque his ſolenne eſt opprobria fundere utrinque
Invicem, et inſimulare doli diverſa ſequentes.
Sunt alii, qui ſe ſane neſcire fatentur
Exortas inter doctos componere lites:
Sed tribuenda Deo contendunt omnia recta,
Arbitrioque hominum quaevis contraria: Laudi
Aut vitio vertenda tamen. Sed quomodo conſtent
Haec non decernunt, contenti haerere modeſte.
Et faveat quamvis extremo intenſius uni,
Si non nota neget quis ductus mente ſuperba,
Audiat hic nollem fanaticus, impius ille.
Ut fuerit, nonne hoc, quaeſo, quis poſtulet aequus,
Ut qui virtutem fonti bonitatis amico
Acceptum referat, non ſit temere annumerandus
Illis qui ſani non ſunt, hoc nomine ſolo,
Dum non virtuti aut vitio ſua praemia tollat?
Des hoc; et qui ſe credit divinitus actum
Ad mala, ridicula, aut plane communia, quovis
Hunc habeas numero, per me, vel nomine dicas,
Sed tribuenda Deo, dicas, hoc nomine rite
Quae faciunt homines, fuerit quod ſcilicet auctor
Vitae, et *caeleſti* ſenſus quem *traximus arce*,
Hujus nempe animi qui ſeparat a grege muto
Humanam gentem: dederitque volumina porro

Sacra

Sacra, in iis monſtrans pateat qua ſemita vitae,
Quid fas atque nefas, meritis et praemia figens
Spemque, metumque, atque ipſum etiam ſuperantia cap-
Tranquillam et vitam recte viventibus addat, (tum,
Et ſuper haec mentem mortis terrore carentem;
Et quaecunque ad agendum hortentur graviter illud
Quod verum atque decens, obeundaque munia vitae
Praeclare, dederit. Si quidquam obtenditur ultra,
Haec mera verba putes, queis prorſus deſit idea.

Aequus, amice, feres contra quae dico modeſte.
Ardua res certe eſt de quavis dicere mente,
Praecipue de divina: ſed dicere oportet
Si cui religio eſt cordi. Nimirum imitari
Haec eſt quem colis, et te mox componere totum
Ejus ad exemplum; quod qua ratione futurum
Sit, rogo, ſi qualis fuerit ſit neſcia prorſus
Mens hominum? Sed nec ſatis eſt noviſſe benignum,
Et ſanctum, et juſtum, quales et nos decet eſſe,
Verum infinitus fuerit quod ſpiritus, auctor
Naturae, qui cuncta creaverit atque gubernet
Omnipotens, quaecunque videns, et ad omnia praeſens

Haec quorſum? Advertas ut noſtram poſſe moveri
A ſummo, cujus ſoboles eſt, numine mentem,

Atque

Atque adeo haud quae non capias ſtatim eſſe neganda

Poſſe quis inficias eat inſtes, omnia numen
Quae poterint fieri, non ſint indignave factu?
Sed non eſt vis divinae pugnantia ſecum ut
Componat, facere aut ut ſint contraria vera.
Libero enim arbirrio, atque externo impulſui, ut una
Sint, quisnam dederit? ratio comprêndere neſcit
Omnino mage quam rem non eſſe et ſimul eſſe.

Ipſe agnoſco lubens prorſus pugnantia ſecum
Eſſe nihil, nulliuſque ergo potentiae. At oro
Advertas prima facie pugnantia quaedam,
Quae ſi ſtes propius, bene conſentire videntur.
Singula quid referam? Quin et nonnulla reperta
In veris, quae quis vix conſentanea cernat.
Sed nec in ignotis latebras me quaerere credas.
Haud dictu abſurdum noſtras a numine ſummo
Circumagi mentes, habeo quod ſuadeat. Aurem
Da facilem modo, nec ſubeant faſtigia longi
Sermonis. Dabis, adlata ratione moveri
Eſſe hominis, quaque iſta trahat retrahatque ſequent.
Vim non inferri, nec dici, jure, coactos
Quos captivârit, quales ea cunque triumphos

Egerit

Egerit, atque illi prorſus ſuccumbere dignum
Natura noſtra, veniant quacunque ſagittae
Cominus a terra, coeleſtive eminus arce.
Eloquio juſto mulcere frementia corda
Conceſſum dubitare nequis; nec, amice, timebis
Hinc libertati humanae, quae tam tibi curae.
Cur ſuadente Deo mage quam ſuadente *Platone*?
Socraticis quae des chartis, tribuenda negabis
Divino afflatu ſcriptis? Sed forſitan inſtes,
Quae fiunt auctore Deo ſint illius. Atqui
Sunt qui non legem modo, poenas praemia, numen
Inſtituiſſe volunt homini, ſed corda movere
Impulſu quodam arcano, quae gratia dicta eſt,
Quod gratis detur: quae quid ſit geſtio ſcire.

Da verbo ſane non diſputo, remque fatemur
Difficilem, et quae ſit noſtrae non obvia menti,
Et cui ſola fidem faciant oracula ſancta.
Teſtibus his unis, bona ſunt quaecunquae benigno
Spiritui damus, hoc uno fundamine nixi.
Vix animi ſenſus, vix experientia monſtrat
Attentis mentes noſtras aliunde moveri.
Qui movet ille docet, dictanti et credimus uni.
Sed nec divino effato ratio ulla repugnat.

Quid ni animos flectat quos inſpiraverit, aurae
Dictos particulas divinae, in corpora tarda
Quos truſit, carnemque et mentem foedere certo,
Sed non inveſtigando, ſociaverit olim?
At quo corda modo flectat neſcire neceſſe eſt
Quos latet omnino mentes et corpora noſtra
Quo ſeſe invicem agant. Et ſunt tibi certa neganda
Quae fruſtra quanam fiant rarione requiras?
Nonne animos flectat qui cuncta gubernat oportet? 285
Hoc illibata ſit libertate reponas.
Quis non dicit idem? Quibus et rationibus uſus
Hunc nodum tu ſolvere eas, en mutua reddam.
Summa eſt poſſe homines, quo vult impellere numen
Intus agens momento arcano; ſic quoque certe
Libero ut arbitrio nil detrahat. Iſtud opinor,
Humanis rebus ne forte praeeſſe negaris,
Concedes, et conceſſo ſic colligo: plane
Abſurdum indignumque Deo non eſſe, quod uno
Clamant ore omnes qui Chriſti dogmata ſervant. 290
Nimirum quod Spiritui tribuenda moventi
Omnia ſint praeclara viris et fortiter acta.
Atque adeo votis animum qui poſcere ſanctum,
Atque accepta referre Deo, quod limina vitae
Accedant, tanquam inſanos non eſſe notandos.

Impellente Deo ſi recte vivitur, inſtes,
Ut laudi virtus? Quae praemia debita juſtis?
Nempe voluntatis res eſt, et libere agentis,
Vita proba, atque omnino ſpontanea virtus.

Sed cramben repetes haec conſentanea qui ſunt
Invicem? Et huic iterum reſpondeo, ut ante fatendo
Me miſerum neſcire, putoque haud eſſe repertum
Qui dicat prorſus ſatis ut ſibi fecerit ipſi.
Sed tentare lubet, verum tentare modeſte
De re, quae tantas mentes exercuit olim,
Quid dici poterit. Faveat modo Spiritus ille
Qui ſolus quaecunque Dei ſcrutatur, et oro
Ne quae ſunt indigna Deo permittere vellet
Vatem, qui tenuis fuerit licet, impius eſſe
Nolit. Tuque etiam facilis, dum dicere conor
Ardua, ne ſpernas temere, ſed corrige dicta.
In primis hoc pono, modo quocunque moveri
Dicantur ſummo mentes a numine noſtrae,
Nimirum ſuadendo valet, rationeque forti
Naturae humanae ſit convenienter oportet:
Expugnat, vincitque animum flectitque volentem.

Qui phyſico motu contendunt corda propelli,
Hoc ſi forte volunt quod vi flectuntur eadem

Quae

Quae mare, quae terras, et caeli temperat orbes,
Qua florent plantae, atque animalia muta feruntur,
Non inter ratione hominum veniente, videntur,
Divinorum operum ſpecies confundere, plane
Non advertentes quam longe diſtet inerti
Materiae mens, atque aliis ſit legibus acta.
Perſuadendo igitur dicendum numen amicum
Ducere felices noſtra de mente triumphos.
Non equidem timeo reputes me forte negare
Spiritum in humanum quod dirigat omnia numen
Poſſe agere externa vi; quippe ligaverit illum
Ad corpus, quaque ipſe volet detrudere fas eſt;
Imo illo in nihilum mandante neceſſe reverti.
Ad bona ſed tantum ſuadere, haud cogere, dico.
Nam quos aequus amat, quos ſtat ſententia caelo
Aſſerere, et vita aeterna donare, volentes
Efficit, haud ratione alia quam conſona noſtrae
Quae menti fuerit: nimirum urgendo potenter,
Impellensque animum vero, quod ſiſtere pergit
Ante oculos adeo, ut tandem ſe dedere totos
Virtuti incipiant, atque ad caeleſtia ferri.
Sed quibus ille modis qui mentem condidit, intus
Illuſtret, qui vera illis praeſentia reddat,
Quo teneatque agitetque animos ut ad ardua tollat,

Vix exiſtimo ſcire datum mortalibus ullis.
Viſne igitur penitus non intellecta neganda
Quae conſtat fieri? Quis quaeſo dixerit unde
Sit factum ut vox et vultus praeclara loquentis
In ſaevum vulgus fluat, atque ferocia corda
Molliat? An tu quaeſo capis qui mobilis aer
Membranas aures pulſans aut excitet iram,
Aut odium, aut alios affectus? *Pamphile*, ſi ſcis
Quomodo mens in corpus agat, vell corpus in illam,
Qui mens in mentem minime te credo latere.
Sed cave ne tibi ſint pro rebus inania verba,
Qualia philoſophos affatim effundere conſtat
Saepius, ut celent quam ſit ſibi curta ſupellex.

At ſanctos habitus momento infundier his qui
Debentur caelo, dicas, contendere quosdam,
Aeterno inſpirante Deo: proprieque creantis
Eſſe bonam mentem; plane annumeranda negantes
Tranſlatis ſuper his quae ſacra Oracula tradunt
Hos ſanos credos? Ego non intelligo certe
Plus quam quod ſuper his dixi: ratione movere
Nimirum numen. Si quidquam fecerit ultra
Vi, qua cuncta poteſt, ignoro; nec eſſe modeſti
Arbitror aſſerat ut quae ſunt obſcura, negetve.
Certe qui ſuper ignotis pronunciat, errat,

Et

Et ſi ſe afflatum obtendat fanaticus eſto.

Hoc volo, nempe Deum ſuadendo vincere mentem,
Naturaeque hominum, ut faciat, non eſſe repugnans.
Atque ea quae ſuaſu divino perficiuntur
Illius eſſe neges? Sed ſunt et noſtra. Viciſſim
Hoc damus: at partes tribuam cui, *Pamphile*, primas
Si fortaſſe roges, ſimplex reſpondeo, Caelo.
Luminis hinc fons eſt, atque hinc bonitatis origo.
Liberius dices, eſto. Quis quaeſo negarit
Indulſiſſe animos nobis qui cuncta creavit,
Atque movere illos ratione? At quaeſtio ſumma eſt
Gratiae an arbitrii ſit velle. Minutius inquam
Arbitrio volumus; ſed ſuadet gratia velle.
Suadentine Deo potuiſſe reſiſtere victos
Si quaeras: potuiſſe et non potuiſſe, profecto
Diverſa ratione putem. Sed quomodocunque
Non potuiſſe, inſtes, dicas qui libere agentes
Nos ſumus? Anne igitur qui non ratione moveri
Non poſſunt ideo ſunt libertatis egentes?
An argumento victum vi forte coactum
Credideris? Nullum plane diſcrimen habendum
Naturam et mores inter? Si quaerere pergas
An Deus ex aequo moveat praecordia cunctis,

Siſtendo praeſens lumen diſcrimine nullo;
Dico nequaquam: quod res ſat clamitat ipſa.
Unde hoc ſi quaeras, fateor neſcire: ſed unum
Hoc pono, ſanctum bona Spiritum ad omnia ferre,
Idque modo noſtrae naturae convenienti.
Objicienda igitur non eſt dementia, ſiquis
Divino motu virtutem ſe colere auſit
Dicere, facta ſecus ſibi dummodo vendicet uni.

Quid quod ad aeternam vitam ſe dicere quidam
Non dubitant eſſe electos, ante omnia ſecla:
Hiſce patrocinium quoque tu meditabere, dices?
Ne ſaevi. Inſanit certe ter et amplius ille
Qui, vitio indulgens cuique, ad caeleſtia ſpirat
Gaudia: ſcilicet electo ſibi plaudere doctus.
At ſodes illos ut captos mente notabis
Qui vivunt recte, et ſpondent ſibi praemia numen
Quae dabit, atque ideo dare decreviſſe fatendum?
Electosque neges illos a numine ſummo
Quos illuſtrando divini lumine veri
Evocat e turpi coetu, miſcetque beatis?
E diverticulo redeam fortaſſe monebis
Agnoſcens, quod ſaera docent oracula, ſanctum
Spiritum ad omnia ferre pia, et juſta, atque benigna:

Unum-

Unumquemque tamen penes eſſe ut pareat, aut non,
Ultimaque ergo Deo prorſus tribuenda negabis,
Atque quod ipſe facit tantum decernere dices,
Non quod nos facimus. Sic concidit Argnmentum.
Hoc jugulum cauſae, dicas, haec queſtio ſumma.
Pono igitur, ſi quem denſis rationibus urget
Quas certo novit valituras, hunc bene dici
Electum, niſi forſan mavis dicere, prorſus
Non praeſcire Deum qua ſe flexura ſit ipſam
Mens humana: quod haud dicturum exiſtimo ſanum.

Exclamabis ad haec, ſic non eſt omnibus idem
Communis rerum genitor! Quid ſenſeris ipſe,
Antoni, dicas igitur. Verumne negabis
Plures eſſe malos? Nequaquam. Credis id ipſum
Praeſciviſſe Deum? Detur. Cur ergo creavit
Turpibus et pravis dociles omnino *imitandis*?
Quicquid id eſt, certe ſapientibus atque *beatis*
Omnibus eſſe dedit, ſi quis cognoverit uti.
Unde ergo eſt oro paucos *dignocere poſſe*
Vera bona, et diverſa ſequi, caeleſtium inanes?
Arbitrio id faciunt proprio, dum *ſeria ludo*
Poſtponunt, *meliora vident* ſed prava ſequuntur?
Hoc totum tecum ſentimus; at unde ſit oro

Hunc

Hunc omnes plane non inſanire furorem?
In cauſa eſt animus melior. Verum an Deus illis
Ex meliore luto ac aliis *praecordia finxit?*
Non ita. Quidnam igitur dicendum? Scilicet illi
Ad ſtudium veri incumbunt, et pectore toto
Mentem orant ſanam, quam fruſtra nemo requirit,
Dummodo Spiritui patientem praebeat aurem.
Haec etiam tu nobiſcum. Sed quaerere pergo
Unde hoc? A ſe ipſo tandem ſi dixeris eſſe,
In diverſum abeo; credens non eſſe volentis,
Sed miſereſcentis, quod quis ſibi conſulat. Ut ſit
Das (adverte oro) precibus quae conſequitur quis
Mox referenda Deo, quod ſanus nemo negaret.
Et per te ſolus fanaticus audiet ille
Qui, ſibi quod dederit, caelo vult eſſe tributum:
Nimirum primos animi ad caeleſtia motus
Sinceros, quos conſequitur mox integra vita.

Hic ſola ratione putem te, *Pamphile*, duci
Quo tribuenda Deo nolles bona cuncta moventi,
Ne qua forte Deus videatur iniquus in illos
Quos urget minus, et quos certo vincere non eſt
Viſum, aſt arbitrio effuſas permittit habenas.
Cum vero ſpontis fuerit quemcunque perire,

Conſti-

Conſtiteritque Deum cunctorum velle ſalutem;
Si quos continuis unquam rationibus urget
Fortius atque alios, in jus quis, quaeſo, vocabit
Aeternum rerum Dominum, Regemque tremendum,
Cunctis nempe bonum, quod non ſit et omnibus idem.

An tu forte putas nullo diſcrimine habere
Mortales numen niſi quo meruiſſe putandum?
Quo tandem merito credas te, *Pamphile*, natum
Qua *Thameſis*, puta, *Trenta* fluit, quave alma *Sabrina*
Non juxta *Euphratis*, *Nili*, *Gangisve* fluenta?
An tu feciſti propter quod ſcilicet eſſes
Ortus iis, mores qui ſanctos tradere poſſent?
Ut te conciperet quae nomine gaudet *Ieſu*,
Quae te curarit fluvio merſare ſalubri,
Atque animum tenerum mox ad caeleſtia duci;
Non cultrix idolorum, aut venerata deaſtros,
Aut omnis prorſus contemptrix religionis
Aut ſcortum vile, et damnatos perdita mores?

Eſt etiam quod te monitum, dulciſſime, vellem,
Quodque puto facile eſt haud indignumque notatu;
Nimirum plures diverſa ad munia vitae
Vi quadam arcana ferri. Qui carmina condunt,

Que

Qui cauſas orant, qui martia caſtra ſequuntur,
Et maris et terrae, numeroque carentis arenae
Menſores, ſoliſque viam qui et *ſidera norunt,*
Exemplo fuerint, imo et mechanica docti.
Cuique ſuum ingenium (genium quod dicere vulgo
Solenne eſt) Huic debentur celeberrima quaeque:
Hoc deſit, fruſtra ſudant, fruſtraque laborant.
Sed dicas quorſum haec? Ne me contendere credas
Deberi genio virtutem, ut caetera dicta;
Aut intercluſos aditus ad ſumma putare
Si quis doctrinae caeleſti obtemperet: unum
Hoc moneo, eſſe quibus facilis praecordia finxit
Hoc natura modo, ut primis ineuntibus annis
Arcano ſenſu ſapiant, ſpirentque ſuperna.
Et quaeſo reputes quantum ad virtutis amorem
Contulerit bonitas naturae, quam ſibi nemo
Deberi dicet ſapiens. Quisquamne meretur
" Ut caſtum omnino ingenium, vultumque modeſto
" Sanguine ferventem, tribuat natura benigna
" Larga manu, cura et cuſtode potentior omni?
Cur hic ingenii ſit mitis, et indole plane
Praeditus eximia, atque alius, ſortitus eosdem
Sanguinis auctores, ſit pronus ad omnia faeda,
Aſper et indocilis, mendax et ſubdolus ipſis

Ex

Ex cunis eat, et vitium cum corpore creſcat,
Sic ut cuſtodes fruſtra retinacula tendant,
In cauſa quid ſit dicas. Non ſidera certe
Aut fatum, *Antoni*, pones ſi te bene novi.

Advertas porro quam non ſua culpa frequentes
Addixit vitae generi, aut habitacula fixit,
Veram virtutem quae non ſunt aequa colenti:
Atque aliis contra, cura ductuque ſupremi
Numinis, exercere artes contingit honeſtas,
Atque ſodalitio miſceri exempla daturo
Aut ſanctae, aut certe innocuae et ſine crimine vitae.
Deficeret tempus referenti talia plura
Inter dona Dei, quae ſanus quisque recenſet,
Nec proprio minimum merito tribuenda fatetur,
Quae multum faciunt, dum non adoleverit aetas,
Ad mores pueris formandos, imo et adultis
Immenſum conferre ſolent ad munia vitae
Norma divinae rationis mox obeunda.

Praetereundum autem nequaquam exiſtimo, poenas
Exigere haud raro, quibus ad meliora reverti
Conſilia impenſe moneantur, numen amicum;
Interea indulgens perituro proſpera quaeque.

Horum

Horum ſi reddas rationem, ſolvere pergas
Hunc etiam nodum; cur, quo ſe corrigat, illi
Det ſpatium Deus, et multos indulgeat annos:
Hic juvenis pereat primo vel flore juventae,
Aſpera qui ſiqua rupiſſet fata, fuiſſet
Ad frugem fortaſſe bonum feliciter actus
Annis maturus, vel res expertus amaras.
Praeſciviſſe Deum dicas fortaſſe futurum
Indocilem, ſi vixiſſet vel *Nectora* totum.
Aetas ſi longa et cervina indulta fuiſſet,
Non quidquam mutaturum de moribus. Atqui
Advertas quo ſe ferat haec ſententia quaeſo.
An quod praeſciſcat, cui cuncta patere neceſſe,
Omnino qua ſit ſeſe flexura voluntas,
Scilicet hoc pones numen minus eſſe benignum,
Dum nos inclamat ne forte perire velimus?
Serio et ex animo cunctos nonne urget et inſtat?
Quoque diutius hoc et fortius egerit, annon
Quem fert, cui parcit, tanto eſt devinctior illi?
Summa eſt, ſi tempus dare ab impietate recedat
Quo malus, immenſae ſit res bonitatis habenda,
Et non ex aequo cunctis hoc donet, habemus
Hoc certum, numen quoſdam deſcrimine habere
Immeritos et gratuito, praebere benignum

Nonnullis

Nonnullis, aliis quod viſum eſt jure negare.
Rem ſic eſſe palam eſt: rationem reddere neſcit
Humanae mentis modulus. Mihi, *Pamphile*, certe
Exclamare libet, reputans quae dixit *Jeſus*,
Sic placitum O Pater! Et cum magno dicere *Paulo*
Numinis O quam ſunt inveſtiganda ſupremi
Judicia! abſtruſae penitus quam ſunt rationes!

Ut ſuper his fuerint nobis diſcordia ſenſa,
Caetera convenient: nimirum mentis haberi
Jndicium laeſae merito, ſi quis ſibi fingit
Ipſi congreſſos, exutos corpore, manes,
Daemonas aut genios; quod ſumma miſſus ab arce
Colloquio fuerit dignatus nuncius ales.
Namque (ut quorundam rationem reddere non ſit
In promptu, atque id quod fieri non poſſe probare
Haud liquido poterit, vix affirmare modeſtus
Audebit nunquam factum,) ferme ſtatuendum
Haec animi delirantis phantaſmata dici
Debere, aut hominum mendacia ficta vafrorum:
Quodque uſu ſi quis ſanae rationis omiſſo
Viſorum ductu ſeque et ſua temperet, illi
Mens laeſa, et merito fanaticus audit. Eoque
Somnia, terrores magicos, miracula, ſagas,

Nocturnos lemures, portentaque Theſſala, noſtro
Cum * *Flacco* riſu excipimus: miſereſcere docti
Illorum quos haec inſania ludit, iisque
Infenſi, gaudent qui fingere prodigioſa
Aut animi, aut lucri cauſa. Quin odimus illos
Inferni tanquam portas, *cane pejus et angue*,
Conſuluiſſe quibus ſic viſum eſt religioni.
Nempe ſacris impoſturis, ni fallor, amice,
Debemus turbam cui ſordet nomen *Ieſu*.
Nam cum naſutis ſubolet rem fraudibus actam,
A *Chriſto* penitus, ſed certe injuria, abhorrent.
Non advertentes quid ſint diſtantia falſis
Vera, malo defenſa dolo, confuſaque nugis.
An vellet ſanus de rebus tollere numen,
Intulerint vates quod tot portenta Deorum,
Ritibus horrendis coleret quae barbara turba?
Nec minus inſanit qui *Chriſti* dogmata ſpernit,
Quod tot miſcuerint illis mendacia, qui ſe
Sacris nempe praeeſſe volunt poſitosque tuendis.
Sed quàm ſolenne eſt, monuit quod † *Horatius* olim,
Stultos dum vitant vitia in contraria ferri.

---

* Epiſt. 2. 2. 207. † Sat. 2. 24.

Quod-

Quodque olim fuerint, et nunc fortaſſe, reperti
Qui ſe crediderint afflatu numinis actos,
Et longe poſitos extra communia, ſi quid
Contigerit praeſtare ardente et impete mentis
Majori ſolito: non tantum dico poetas
(Qui cum *Caſtalio*, *Muſis*, et *Apolline* migrent)
Verum oratores dictosque litaſſe *Sophiae*,
Hos vim naturae non advertiſſe tenemus,
Idque uno rerum prudentes ore fatentur.
Non quoniam eveniant ſine numine talia, ſed quod
E medio ductis rationibus explicet iſta
Intima naturae cui fas accedere. Poſſem
Fuſius haec, doctum ſed compilaſſe * *Mericum*
Ne videar, ſatius ſermonem abrumpere duco.

* Mericus Caſaubonus ſcripſit tractatum de Enthuſiaſmo impreſſum Londini, 1656. Lingua vernacula.

CLERUS Satira.

Haud tamen invideas vati quem pulpita paſcunt Juv.

DIs miſcere viros, aut annumerare cohorti
Tartareae, mentem prout egerit ira favorque
Effraenem, norint alii num noſtra modeſta
(eſt
Muſa et, adulandi imprudens, nec docta nocere
Praecipue cum de ſanctis fit ſermo, virisque
Quos ſacra majores voluerunt publica ferre.
Non ſuper his ortas novit componere lites;
Ardua nam caute fugit, et vulgaria ſpernit.
Carmine ſed tenui non ante audita referre
Geſtit, et haud emenſo aliis decurrere campo;
Indelibatos rationum pandere fontes;
Et quantum interſit cunctis evincere ut uſque
Sit ſacer immunis, nec prorſus concidat ordo.

Ardeat ut ſtudio rerum natura novarum
Humana, haud neſcis; aveat quam publica ſcire,

Et

Et quam privatis inhiet; quaeque inde voluptas
Accreſcat, quantumque huc Myſtes conferat, audi,
Illis queis nequeunt expleri corda ſciendo.

Multa ſuper bello rogitant et pace, ſenatus
Conſultis, procerum et ſtudiis, quid et extera quaeque
Gens moveat, quid *Gallus* agat, meditetur *Iberus*,
Quid *Romae* inſtituat praeſul, quid ſperet alumnus
Pontificum (latitans quondam ut *Saturnus* in oris
Heſperiis, metuensque Jovis qui fulmina torquet)
Haereticis pravis quando annumerabitur ille
Hic magnis dextra qui torquent ſceptra tyrannis.
An ſuſcepturi ſint bellum religionis
Ergo, qui rebus praeſunt; cumque omnia flagrent,
Ad quas accedet partes novus * Induperator:
Et quid facturi ſint ſancti nominis hoſtes,
Atque adeo expectant ſit reſpondere paratus,
Tanquam ſacricolam penes eſſent ſcrinia regum,
Aut foret aſtrologus, python, magus, augur, aruſpex,
Vel ſciret manes excire, et caetera monſtra
Fingere, qaae vafri norunt et credere vulgus.
Interea quid agat, mentiri et fingere plane
Indoctus? ſi ſe niſi ſacra oracula ſcire

* Ruſſiae.

Asserat, aut veterum monumenta, et publica scripta;
Et quae non didicit plane nescire fatetur,
Mox despectui erit, minor ut *Partrigio*, et illis
Annua qui vili pretio mendacia vendunt.
Est ideo conjecturis mulcere necesse,
Aut assentari portenta loquentibus ipsis,
Atque ita praemorsas decimas coenamque mereri.

Est aliis in deliciis exquirere quaevis
Vicinae secreta domus; qui census, et unde
Victitet, an laute vel parcius; atque supellex
Splendida an, aut simplex, vel sordida; quaeve voluptas,
Aut quae cura virum trahat; an sit faemina foeta,
An casta, an frugi, et veteres imitata Britannos
Queis acus et colus, et quaecunque domestica, curae:
In quorum subiere locum spectacula, chartae,
Exornare caput, pictasque extendere in orbem
Vestes, et speculo longas adstare per horas.
Quot fuerint, et qui pueri, qualesve puellae,
Quas et amicitias colat, atque minutius illud
Quot pascat servos, et quo conduxerit aedes.
Cumque haec afficiant animos dulcedine tanta,
Temporis atque operae cum tantum impenderit illis
Sacricola, et toties super his sit nausea facta

Ingenuo doctoque viro, jus fasque putabis
Annua sic meritis aegre ut munuscula dones?

Haec leviora putas? audi majora. Pusillis.
Infirmisque animis quam sit maledictio cordi
Quis nescit, nisi qui plane fortasse sit hospes
Rebus in humanis, et se non consulat ipsum?
Si deliravit, si quicquam admisit inepte
Vicinus, vel praecipue si faeda patravit;
Mox ubi rescierint spoliis laetantur opimis,
Ut quondam reges, miroque libidinis oestro
Narratur, cito per cunctas it fabulas coenas:
Praecipue si quid deliquerit et bene natus,
Libere et eductus, famaeque haud ante minutae,
Munere si sacro et civili functus, et illis
Oppositus, quorum placeat sententia vulgo.
Gaudet enim sociis sceleris mens conscia magni,
Et livor fastusque ipsis accedere credunt
Omne fere quod famae aliorum demere possint.
Huic desiderio quam gens pullata ministret
Paucis expediam. Primo cum murmure fama
Sugillet quenquam, vicinia tota repente
Advolat ad parochum citius, quam mortui ad aedes
Qui pretio curant portandum ad busta cadaver,
Aut ad *Walpolium* Doctores, sede vacante,

Aut

Aut ad *Dorſetum*, praelo ſudante, poetae,
Et coram ficto ſuſpiria pectore ducunt,
Et nutant capite, et veluti lacrymantia tergent
Lumina, de fama quaeſti haud inſontibus aequa:
Omnia falſa quidem primum ſperare profeſſi,
Deinde audita ferunt. Parochus ſtupet: hisque profectis
Agnoſcit ſe audiſſe aliis, quaerentibus ultra,
Atque tacere jubet, temere nec credere, fruſtra.
Manat ab invito per compita fabula, fitque
Hiſtoriae (vafris captus nebulonibus) auctor.
Eliciunt alias fidei commiſſa togato
Praetextu vario, variis atque artibus uſi:
Inde palam faciunt, fere et addere plurima norunt,
Dum culpae leviores magna in crimina creſcunt.
Atque hoc immenſum parocho obtrectatio debet

Nec magis oblectant animum jactat petauro
Corpora, praeſtigiae *Fauxi*, nutuque loquaces
Et manibus mimi, vel quae *Leverigius* imo
Scit cantare ſono, magici vel naenia *Fauſti*,
Quam ſi ſacrificus quidquam peccaverit ipſe,
Aut male ſi cedant quaecunque domeſtica; ſiquis
Concutiat lectum, vel natam comprimat illi,
Et propter quod differret vadimonia praetor

Aut

Aut olim purgatum irent luſtralibus undis
Excipiunt laeti, fruſtra cohibente cachinnum
Religione Deum, vel ſacro proximi amore.

Vilia dixeris haec forſan, minimeque ferenda,
Aut facienda viro ingenuo: his quapropter omiſſis
Subjicio quae quis, quaeſo, reprehendere vellet.
Notum eſt quam incumbat multis grave, ponderis inſtar
Immanis, tempus, quibus otia ſplendida fecit
Sordida avaritia, aut fraudes, virtusve priorum,
Praecipue ruri degentibus, atque negante
Imbribus aut ventis pleno jove ſuavis aprici
Gaudia: non illi in ſacris conſumere norunt
Horas, nec veterum libris, doctisve camoenis,
Aut opere in quovis quod publica commoda ſpectet.
Quid faciant, ſodes, ſubeunt cum taedia longa,
Alea cum gravis eſt, et ſomno fallere tempus,
Ulterius natura negat? Vacuo quid agendum
Rectius aut melius quam mox accerſere myſtam,
Auxilio qui ſit ſub iniquo pondere fracto,
Ingrate tardeque fluentis luce diei.
Huic, ſtomachus coenae, aut ventri dum coena paratur
Hoc ut faſce levet ſeſe, vel garrit aniles
Fabellas, recitatve poemata miſit amicae

Quae quondam juvenis, vel narrat quot ſibi primum
Barbato fuerint generum ſe velle profeſſi,
Quaeve illum aut quales florentem arſere puellae,
Quae cui forma, color, mores, quo ſtemmate ducta,
Quo patre, maternis quibus et majoribus orta:
Praecipue quot haberet praedia, millia nummûm
Aut expectaret numerari in dote, propinquis,
Et ſenio jam confectis, legata. Sed ille,
Albae nimirum Gallinae filius, omnes
Neglexit. Subit at miſeratio magna *Meliſſae*
Quae, *Daphnin* male deperiens, innupta jacebat
Atque petita procis mille, haud dignata cubili
Aut procerum pueros fuit, aut et plebe beatum
Daphnidis haud oblita, novae nec conſcia flammae.
Mille alia infarcit vanus de jugere multo,
Et villis, et quas contingat ſanguine gentes
Nobilium; quid geſſerit alta in pace tribunus;
Cumque vicem comitis gereret quam ſplenduit olim,
Judicibus, juris conſultis, atque popello
Excipiente virum laeto, plauſuque probante.
Quae peregre proficiſcenti, et longinqua petenti
Contigerint; quin et venanti, et forte madenti
Vino. De catulis et congerronibus audit
Narrantem perochus, decies repetita placere

Vult

Vult homini ſacro haec, expectans uſque togatum
Audire, annuere, et mirari, et plaudere ſtulto.

Longe autem gravius, dederit vicinia ſi quem,
Cui res ampla domi, ſciolum, ſemperque placentem
Plaudentemque ſibi *Suffenum*; grammaticorum
Quive tricos didicit; veterum fragmentave novit
Philoſophorum aliqua, aut quaedam commenta novorum:
Qui res civiles valde ſibi ſcire videtur,
Qui chymiam inſanit, cui vena poetica fervet;
Praecipue de divinis quem forſitan urget
Pruritus diſceptandi, callere profeſſum
Quid fas atque nefas quenquam ſentire fidelem.
Denique qui labris tantum primoribus artes
Attigit. Heu parochum quid poenae exinde moratur!
Divitis inſulſi hunc velles ſermonibus aures
Noctes atque dies praebere, et plaudere gratis?
Tranſeo foemineam linguam, cui fraena negarit
Natura, et mos, et noſtri ſocordia ſexus;
Cujus in aeternum nugas blaterantis oportet
Sacricolam ſufferre, atque arridere necanti.

Praeterea reputes quam ſit ſpecioſa voluptas,
Nec vili ſane pretio coemenda, minutis,

Indoctis-

Indoctisque animis, faſtuque tumentibus, ut ſit
Cui ſeſe anteferant, in quem dicteria jactent,
Quemque etiam effuſo excipiant rigidoque cachinno,
Atque impune jocis inſulſis radere poſſent,
Nequaquam audentem locupleti oppedere bardo.
Non etiam neſcis ludoque jocisque ſoatere
Sacrifici veſtem, inceſſum, et ſuper omnia nomen.

Nec vacuis modo, ſed queis mille negotia circum
Et caput et pectus ſaliant, quam inſerviat ille
Paucis exemplis (niſi te quid taedeat) audi.
Hic puero uxorem grandi cum dote requirit,
Aut natae ingenuum, quemve ardens purpura veſtit;
(Quos genuit credens lautiſſima quaeque mereri)
Ille ſibi vetulo pulchram teneramque puellam,
Illa ſibi vetulae juvenem florentibus annis.
Quis paſtore magis ſit rebus idoneus iſtis
Ad quem conveniant, per quem mittatur utrinque
Quod placet, et cui confidant; quia ſcilicet illum
Mox benedicendae copulae ſpes lactat amica

Pupillos habet hic venales, ille nepotes
Ex quorum cenſu praemordeat, et ſibi frangat
Ipſe aliquid, pretio immeritis chariſſima tradens

Pignora

Pignora, quae fidei moriens commiſit amicus.
His audent myſtam incautum miſcere profeſſi
Sincerum et ſanctum: ſic decipitur pius, eheu,
Vir ſpecie recti, ſceleriſque fit inſcius auctor!
Non ita cum domus, aut fundus, cum ſervus, equusve,
Aut etiam catulus, medio qui ſacra miniſtrat,
Permutat dominos (nam et in his dignatur opellam)
Et dubitant homines tantillo paſcere talem?

Nec facile expediam quantum ordo ſit utilis illis,
Qui fama, aut quaeſtu ducti, volitare per ora
Multa virum gaudent, atque innoteſcere vulgo.
Dicat quam felix medicinam exerceat ille,
Quantum aegro invigilet, quae gratis praeſtet egenis,
Et quam ſaepe oblatum a divite reſpuat aurum.
Sedulus hic ut agat cauſas, conſultior aequi
Illo ut non fuerit, vel fraudi infenſior alter,
Aut cui conſeſſus facilem mage praebeat aurem.
Imo qui ſcite pingit, qui pſallere novit,
Aut etiam fuerit choreasde ducere doctus,
Aut catuli domituram, aut pulli callet equini,
Hunc ſibi praeconem, quamcunque exerceat artem,
Aſciſcit, quo creſcat rēs et fama perito.
Cumque tot et tantis ſit rebus idoneus unus,

Sit ſocius, ſervus, ludibrium, et omnia plebi,
Invideas victum et mercedem ſolvere nolles?

Quantum principibus ſanctis inſerviat ordo,
Et quam ſacrifici fuerint magnatibus uſus,
Quique novis ſtudeant rebus, vigilentque ſecundis,
Non memoro: ſunt dicta aliis, repetitaque ſaepe.

His etiam poteram ſubnectere plura, legenti
Quae veterum libros occurrunt. Sed mea ſola
Promiſi, nova, et antiquis intacta. Relinquo
Iſta aliis referenda olim, cum forte pudori
Non erit, aut noſtris alienum a moribus, ut quis,
Qui ſupra vulgus ſapiet, ſe ſacra vereri
Agnoſcat, facere et magni qui ſacra miniſtrant.

Weſtmonaſterii
5 Id: Martii
1725.

De Morte, V. R.

GULIELMI TONGII.

Epiſtola

AD

Joannem Neandrum.

Quando ullum invenient parem? Hor.

CHarum flere caput tacita, ſine teſte, ſub umbra
Sufficiat, dum privatus ploratur amicus.
Egregios autem cives, exemplaque magna
Qui dederint, nimirum in publica commoda natos,
Solenni ritu fas eſt celebrare, piisque
Manibus omnigenos deferre, *Neander*, honores.
Tongio in his, ſi quisquam alius, livore fatente,
Publica nemo bonus dubitet perſolvere juſta,

Quod fieri potuit factum ſermone ſoluto
Te praecone, patri charo, ſocioque fideli.
Aeque utinam poſſet, cui non obſtrictior alter,
Vates heu tenuis patronum dicere vincto!
Si natura negat, negat obrepente ſenectâ
Frigidior ſolito circum praecordia ſanguis,
Experiar quid poſſit amor ſine divite venâ,
Grataque pro muſa mihi mens erit: utque negetur
Pro meritis laudare virum, concedet amico
Forte aliquid vatum chorus, ut mediocria damnet.
Quicquid erit, tentare animus praegeſtit, et ardet
Inſolitum, et ſi quid faveant mihi candidiores,
En trado ventis quaecunque protervia latret.
Quidni, cum quotquot cordi ſit fama bonorum,
Aſpiraturos habeam componere laudes
Aggreſſus magnique viri, ſimul atque modeſti,
Uſque bonis aequi, et ſemper laudare parati?

Ingenuum dederat vultum natura, bonaeque
Indolis indicium, et quod conciliaret amorem
Ignoto prima facie. Nec ficta fefellit
Frons, ut ſaepe, fidem; mores at amabilis ipſos
Expreſſit ſpecies; erat intus et in cute quicquid
Eſſe videbatur, civilis, candidus, aequus,

Commodo

Commodo et alterius ſemper ſervire paratus.
Et quoscunque bonos ſeu commendaret amicus,
Seu fors objiceret, peregrinos et populares
Excepit, juxta atque habuit, diſcrimine nullo,
Ut mundi cives, et eodem ſanguine cretos:
Nulla aliena ſibi reputans humana. Virisque
Principibus quamvis norat placuiſſe, remotus
A fuco, et larva, et demiſſa mente, quis illo
Commodius novit tenuem tractare popellum?
Sic factus merito fortunae charus utrique.

Mollia quam fuerint illi praecordia, quamque
Faverit impenſe miſeris, et triſtia paſſis,
Teſtor permultos quos ipſe levavit, eosque
E quibus elicuit prudens ſermone diſerto,
Sed non fucato, quae donarentur egenis.
Nec minus eſſe reor (ſi quis res aeſtimet aequus)
Indicium mentis magnae, et cui publica curae,
Commendare inopes illis qui rebus abundant,
Quam dare de proprio, quicquid ſentire videtur
Maxima pars, curva in terras, et dedita lucro.
Namque aegre partes mendici ſuſtinet omnis
Liber et ingenuus, niſi quid divinitus ortum
Urgeat, et faſtum reprimat quo quisque tenetur.

Quanto igitur dignus fuerit cenſendus honore
Qui ſua largitur miſeris, aliisque ſit auctor
Ut largi fractis vellent ſuccurrere rebus?
Talis in his *Gulielmus* erat, fortaſſis et error
Obrepſit ſupra vires donare volenti:
Forte infelices nimium dilexit amicos.
Verum hoc donemus, quia certe nil metuendum
Ne daret exempli in plures contagio labem:
Cum ſibi quisque fere ſtudeat caveatque, nec ultra,
Seque, ſuosque hominum ſit longe extendere curas.

Qualis amicitias exercuit impia certe
Muſa foret, ſi non cuperet narrare: ſed impar
Ingenium vetat, et preſens dolor. Hoc ſatis eſto.
Jucundus facilisque fuit, nec defuit unquam
Afflictis rebus, quem junxerat uſus, amici.

Sed nos, privato maerore, *Neander*, omiſſo,
Tentemus majora: fave dum dicere conor
Humani generis quanto flagravit amore.
Haec demum vera eſt virtus, haec gloria vera,
Cunctis velle bene, et multis prodeſſe, ſtudentem
Non curare modo miſerum ſpectantia corpus,
Verum animae imprimis ſuccurrere morte carenti;

Quos-

Quosque obteſtando in ſeſe ut deſcendere vellent
Sedulo et absque mora, fugiant ut dira locorum,
Semita quo tendit vitii, ut videatur amoena.
Et ſi ſolicitat propriae quos cura ſalutis
Aeternae recta ad fontem deducere vitae.

His quantum ſtuduit magno perculſus amore
Tongius uniusque Dei, et quem miſit *Ieſu*,
Cujus ſacra tulit, teſtes adhibere liceret
Qui norunt hominem primae jam flore juventae.
Poſthabito juris ſtudio (licet inde pateret
Ad magnas et opes et honores janua ſummos
Ingenio perquam felici, et ad ardua nato)
Arae ſe totum et ſterili voviſſe cathedrae,
Impellente Deo, et lecta genitrice monente
(Illam nulla dies, ſi vivant noſtra, *Neander*,
Exemptura aevo eſt memori, ſed geſtiet omnis
Poſteritas tumulo vernanti inſpergere flores,
Quae potius duxit *Chriſti* peperiſſe miniſtrum,
Quam qui mox eſſet magnatibus annumerandus)

Sed neque ſe his ſacris addixit neſcius inde
Nil accreturum, quod lucro apponere ſciret
Indoctum vulgus: norat qui ſaepe manerent

Immotos

Immotos caſus, nimirum infamia, carcer,
Exilium, mulctaeque, et quicquid ſaeva tyrannis
Poenarum a *Chriſti* ſervis exegerit olim.
Nam nondum appulerat claſſem *Naſſovius* heros,
Nondum libertas noſtras reſpexerat oras,
Sed legum gravis incubuit non aequa poteſtas
Illis qui nollent jurare in publica verba,
Arbitrioque hominum ſacra qui facienda negarent.
Qui fidei normam et morem, cultusque, perennem
Unica crediderint ſanctorum oracula vatum,
E quorum ſcriptis verum ſibi quemque neceſſe
Eurere, ut poterit, ſancte; nullique magiſtro
Caecam adhibere fidem, atque humilem demittere mentem.
Sic ſenſit noſter, ſeſeque his addidit ultro,
Multa reclamaret rerum etſi cura ſuarum.
Illi non oculos perſtrinxit purpura fulgens,
Magni proventus, auguſta palatia regum
Aemula, ſervorumque greges, et vulgus adorans.
Haec nil penſi habuit, quamvis contingere et ipſi
Jure quidem poterant, ad praeſtantiſſima facto,
Ut cui mens fuerit mirum vegeta, ingeniumque
Velox, et ſermo promptus multumque politus,
Suaves omnino mores placidique: nec illi
Defuit aſpectus pulcher, geſtusque decorus,

Qui

Qui dotes animi quantum commendat, et ornat?
Qui procerum pandit portas, et ſtravit ad alta
Multis ſaepe viam, minimeque merentibus olim.
Nec ſic inſtructus, magnis et fretus amicis,
Suſtinuit quidquam contra quod ſenſerat ore
Vel ſcripto affirmare unquam: ſic pectus honeſto
Incoctum juſſit, ſummi et veneratio magna
Numinis, atque animi teſtis, multumque monentis
Ne male mutaret virtutem rebus opimis;
Duceret at ſatius cuivis ſe dedere fato
Conſtantem, quam imbellem uni ſuccumbere culpae.
Et cum ſic animi ſteterat ſententia, noſtris
Incubuit quo ardore ſacris? hominumque ſaluti
Verae quam ſtuduit? quam totis viribus unum hoc
Egit? quam nihili fecit quoscunque labores,
Vel quicquid damni inſtaret, quicquidve periculi,
Non vitam vitae cauſſis praeponere certus?

Nec fruſtra fuit; haud operam inſumebat inanem.
(Ut longe votis animi ſucceſſus abeſſet:
Quippe omnes ſalvos ad magni numinis ille
Exemplum voluit ſacrum et dignoſcere verum.)
Adſpirante Deo multos emergere juſſit,
Et frugi fieri, obruerat quos dira tyrannis

Principis

Principis inferni, et vetitorum insana cupido.
Quos, longo ut vitiis dicto vale turpe veternum
Excuterent, alacres et sese addicere vellent
Verae virtuti, monuit feliciter. Auctor
Multis ut se corrigerent fuit, hique parentis
Illum habuere loco, et semper coluere secundum
Numen, cui certe debetur gloria soli, et
Omnia cui constat *nostrum* retulisse benigno.

Quamque operam dantes rebus caelestibus ille
Juverit, et quantum addiderit currentibus ultro
Calcar, quae moestis animis solamina mitis
Indiderit, timidos quam confirmaverit, et quam
Hortatus fuerit dubios, recrearit et illos
Quos malus abstulerat veri de callibus error,
Testatura dies quae proferet omnia: sed nec
Nescimus multi quam mentes ducere sciret,
Flectere et eloquio, magico quasi carmine, ferme
Qua libitum fuerat; seu compellare frequentem
Orator populum, precibusve praeire volebat.
Has habuit promptus, mirum et feliciter ardens,
Atque idem gravis, ut doctumque piumque decebat,
Praesentisque Dei qui semper conscius esset.

Cum

Cum tamen accepto perfungi munere vellet
Gnaviter et ferventi animo, nec cedere sciret
Quae fuerant ea cunque malis, quid mitius illo?
Non illi studium veri vehementius aequo,
Non ira res vel rixa credebat agendas,
Nil sacris tribuit diris, gladiove tyranni,
Queis fere religio fucata innititur omnis.
Vis adhibenda illi praeter rationis amicae
Nulla videbatur, si quis mera dogmata spectet,
Et paci semper civili consulat. Unum hoc
Privatis, et qui rerum moderantur habenas
Cessit, uti faveant secum sentire professis.
Libere ut hoc ita constat idem dixisse, modeste,
An recte, statuant alii: mihi vindice dignus
Omnino apparet nodus. Tu, argute *Neander*,
Cuminiusve bonus, studiisve exerciti in istis
Evanides, *Faber*, *Harrisius*, *Lomanus*, et ille
Cujus fecit avis nomen *venatio grandis*,
Quive nimis latuit *Lauri* de nomine dictus,
Hontius, *Averius*, vel si cui forte subactum
Acreque judicium tribuit natura benigna.
Dicite, sed placide, et collatio fiat amica.
Ne vera obscuris involvite, taedia longi
Absint sermonis, fucus procul omnis et ardor

Ad

Ad *noſtri* morem, quo non praeſtantior alter
Percipere, et fari quicquid ſentiret amice,
Perſpicue, breviter, longaque ambage remota.
Novimus hoc multi, liceatque agnoſcere muſae;
Libertate ſuper ſi quid bene ſenſerit, illi
Facundo, docto, et facili debere magiſtro.

Felix ductorem talem ſortita juventus,
Qui teneros mores ceu pollice ducere norat,
Et mollire feros, levibus compeſcere mentem
Injecto ut fraeno, tardis et ſubdere calcar,
Ingenii tenues clementer ferre, benigne
Hortari, lentoque gradu placidusque praeire:
Et ſi quem mentis magnae, multumque capacis,
Senſerat atque aurem culturae adhibere volentem,
Hunc remis agere et velis; perque omnia blandus
Uſque adeo fuit, ut dum corriperentur amarent
Ingenui quivis, colerentque parentis ad inſtar.
Et merito ſane, ſancto nam fovit amore
Tanquam a ſe genitos quoscunque exceperat hoſpes.
Quam commendabat votis ardentibus omnes
Divino auxilio! quam ſacra oracula felix
Narravit, monuitque ut ad haec ſe fingere vellent,
Atque animam ſalvam rebus praeferre caducis!

Tradere

Tradere quam ſtuduit mores praeceptor honeſtos,
Ut caſti et frugi fierent, atque omnibus aequi!
Quamque fuit curae ne quidquam limina foedum
Intra quae juvenes, ne quidquam turpe ſubiret,
Commiſſumve malo exemplo! Quam, quaeſo, fuiſſet
Conſpicuae, lanarum opifex *Conventria*, famae,
Aetatem ſi duxiſſet *Gulielmus* in illa,
Illic ſi totos praeceptor triverat annos!
Illa quot cives prodiſſent rebus agendis
Summis nempe pares, Chriſto patriaeque decori!
Aut ſi forte preces valuiſſent flectere curam ut
Suſciperet juvenum lectorum, quos modo moeſtos
Liquerat orbatosque gravis *Franklandius* ille,
Cui tantum noſter fuerat debere profeſſus,
Et qui tot merito celebres eduxerat olim,
Quot quantosque viros fudiſſet praeſide tali
Illuſtris ſchola! Sed vetuit qui cuncta gubernat,
Et rebus lapſis voluit ſuccurrere magno
Tailero extincto (venerandi nominis ille,
Cui quid debuerit ſacris addicta juventus
Nos aetate graves certe memorare decebit:
Cui ſane meritos pridem ſuaviſſima muſa
Stennetti, quo quis melior, perſolvit honores.)
Hanc nactus ſpartam quam impenſe ornaverit omnes

Sunt certi teſtes noſtris qui coetibus inter
Aſſidui fuerant, etiam diverſa ſequentes
Plures, quos non transverſos fanaticus error
Egerat, aut fraternum exuſſerat aeſtus amorem.
Charus erat multis, placuit quibus integra vita,
Et placidi mores, ut diſſentiret ab illis
De rebus cultum externum ſpectantibus. Ille
In dubiis veniam petiitque deditque viciſſim.
Attamen haud unguem voluit diſcedere latum
A ſenſu proprio, nec vero ignavus abeſſe,
Aut famam captans, ſuaſuve potentis amici.
Sed cautus novit rigido conjungere mite,
Conſentanea nil dubitans ſapere atque placere.

Sed quam ſint defleturi procul urbe remoti
Amiſſum fratres, poterunt quae verba referre?
Dicite *Cornavii*, vos et, ſua cura, *Brigantes*
Invigilaturum quem veſtris rebus habetis?
Quisnam aderit vobis tam fautor idoneus? et quem
Supplicibus fuerit fas olim urgere libellis?
Quive beatorum poſt haec ad limina ducet?
Ingenuo conſulturus quis porro pudori
Implorantium opem, minitantur quando ruinas
Horrea ſacra, caſasque humiles? quae templa putare

Quidni fas fuerit? ſi praeſens numen habetis,
Quod nusquam deerit ſincera mente colenti,
Adverſum quidquid ſolet obgannire maligna
Pontificum gens, cui caelati poſtis et auri
Copia nil non in ſacris praeſtare videtur.
Quemve parem miſeri poteritis habere patronum,
Vos veſtrasque domos dum dira invaſerit olim
Pauperies, deeruntque fames quae et frigora poſcunt?
Hujus ſi ſimiles numen donaret amicum
Paſtores, certe felicia ſecla redirent
Terris, quas jam damnat amor ſceleratus habendi,
Et rapit in partes dominandi ſacra libido,
Hoc multum patres votis ardentibus illum
Orarunt qui cuncta poteſt; ſperaſſeque conſtat
Plures, quos inter fuit ingens ille *Joannes*
Hovaeus, quem nos ſemper meminiſſe juvabit,
Cui quod charus erat *noſtro* non ultima laus eſt.

Quicquid erit, certo ſcimus mox adfore tempus
Quo, patris ad dextram qui jam ſedet altus, *Ieſus*
Adveniet tota caeli famulante caterva,
Quoque, monente tuba, gens omnis ſancta ſepulcro
Prodibunt et (iis quocunque ſuperſtite miſto)
Obvii erunt Domino, caeli convexa tenenti.

Ille ſuperna petens omnes per amoena locorum
Ducet ad aeterni veneranda palatia Regis:
Illic participes ipſi ſociosque futuros
Gloria in immenſa, et vita ſine fine beata,
Praereptos juvenes non lamentabitur illic
Morte immatura: fractosve dolebimus ullos
Morbis aut ſenio, quos multum ardemus amicos,
Magnis atque viris ſuper haud dicemus ut, eheu!
De noſtro nuper, quantum mutatus ab illo
Tongio! adhaerebat cui ſemper ſpiſſa corona,
Vixque ſui compos pendebat ab ore loquentis,
Cujus congreſſum quis non optavit, et uti
Conſuetudine tam facilis gravis atque diſerti
Urbanique viri? Coluit quem nempe bonarum
Artium et ingenuo dignarum quisque peritus,
Aut etiam ſtudioſus. Ibi mirabimur omnes
Invicem ab omnigena ruga maculaque remotos,
Ipſa etiam corpus referentia corpora Chriſti,
Ut mentem mentes, ex omni parte politos.
O quales ſocios, et quali foedere junctos
Praeclarus dabit ille dies! ubi re ſuper omni
Sentiet omnis idem bonus, et quacunque remota
Erroris nebula, continget cernere verum.
Aſper erit nemo ſermone et moribus illic,

Nemo

Nemo levis, nemoque ſui ſtudioſior aequo.
Non in iis *Suffenus* erit, non garrula lingua,
Litigioſa dicaxve, procul regione ſerena
Quidquid turbet erit, poteritve obſtare quieti,
Mutuo et accipient omnes ſe pectore toto,
Coelicolumque perennis amor dominabitur oris.

Temere Querentes,

Ad

Theodulum Hugonidem.

OMnia cum videas triſti loca plena querela,
Et quod ploret habere unum fere quemque, nec illis
Exceptis quos quis juraverit eſſe beatos;
In cauſſa quid ſit, qua ſit ratione medendum
Huic animi morbo, vel quo lenimine mentes
Humanae ſint mulcendae, *Theodule*, requiris.
Impar ut penſo fuerim, quae dicere muſa
Geſtit, habe: faxit numen, quo terra benigno
Omnis laetetur fas eſt, ut dicere poſſim
Digna bono, quem perſtringit male ſana querentum
Turba, Deo! Dictum eſt " Natura beatis,
" Omnibus eſſe dedit, ſi quis cognoverit uti.
Naturaeque patrem clamant oracula ſacra
Omnibus eſſe bonum: plane debebitur ergo

Stultitiae

Stultitiae quicquid doleat, ſapientia certe
Obvia mille malis, miſeri quibus agimur, iret,
Aut faceret leviora, et demum cedere lucro.
Summa ſecuturus tantum faſtigia rerum
Exemplis agere eſt animus, ſed pauca notabo.

Tranſeo quot prima facie numeraveris inter
Sincipitis minime ſanos: imprimis avaros
Qui metuunt miſeri de magno tollere acervo
Quod ſatis eſt vitae; quos angit cura futuri
Inter opes varias; capuloque (ut ſaepe) propinqui
Ne deſit trepidant ſenium quod poſtulet olim.

Quid decoctores dicam, quibus alea pernox,
Et pretioſa venus, dubiis impenſaque coenis,
Servorumque greges, et inutilis ordo clientum,
Idque genus totum quod pompae inſervit inani,
Rem minuit, donec vilem redigatur ad aſſem?
Hos ecquis tulerit de conditione querentes
Humana, dignos aſper quibus imperet *Halus*,
Aut ad gentiles referantur more Quiritum?

Hac autem turba, (quam quis defendat?) omiſſa,
Novimus eſſe alios, qui, rerum ut ſuppetat uſus,

Anguntur

Anguntur deſiderio creſcentis acervi,
Remque ferunt aegre tenuem male ſcilicet illis,
Credentes actum quod fors inviderit amplam.
Hoc ſani eſſe hominis quis ſanus dixerit, angi
Nimirum quod plus habeat forte unus et alter,
Cum mihi ſufficiat quod vitae poſtulat uſus?
Nec mecum reputo quot res anguſtior urget,
Victum ſuppeditat quibus improba cura, laborque,
Aut mendicato veſcuntur pane ſecundo
Praebito et, hoc parce? Stulti quos ſcire negatur
(*Aſcraeo* dictante ſene et referente *Platone*)
Dimidium fere *plus toto:* medicoria quam ſint
Aurea, quamque juvet ſapientes vivere parvo.

Sed ratione aliqua dicas fortaſſe querentes
Qui ſudant, algent, vigilant, jejunia ſervant,
(Non quae prava ſuperſtitio ſed mandat egeſtas)
Veſte in ſordidula; cum merces una laborum
Sit victus tenuis, parvosque educere natos,
Participaturos olim de ſorte paterna,
Vilia mancipia, et tanquam jumenta, futuros
Terrarum dominis, quorum pars maxima nequam
Ignavumque pecus, ſimilesque per omnia fucis
Depaſcuntur apum qui condita mella labores.

Scilicet

Scilicet his veniam damus, et misereſcimus ultro.
Sed monitos, *Theodule*, velim de numine quidquam
Inſontes non poſſe queri. In jus quis vocet illum
Omnia qui verbo fecit, nutuque gubernat,
Et nil ſe indignum admittit ſapiente bonoque?
Nec quid proficiunt queſtu; ſed durius inde
Fit quodcunque dolet. Notum hoc: nec pluribus inſto.
Sed majora mone. Sua ſi bona ſcire daretur,
Norint ſe imprimis felicibus annumerandos.
Nam fortunatos dicas, anguſta quibus res
Et luxum et faſtum prohibet, monet atque ſuperna
Quaerere per virtutis iter, dum ſola caduca
Abripiunt fere quos vulgus vult eſſe beatos.
Ut fuerint vitiis nemo ſine natus, et omnis
Fortunae res ſit virtus; tamen aegrius illi
Emergunt, quorum vitiis res lauta miniſtrat:
Virtuti merito paupertas audit amica,
Aſſiduusque labor. Sic dia poemata narrant,
Sic ſacrae chartae, ſic experientia. Teſtor
Expertos. Dicant quotus eſt qui vivit in ampla
Fortuna divum metuens, aut ſacra Deorum
Obſervans; quotus eſt, cui ducere vitam
Abſque labore datur, quem non ignavia, *Siren*
Improba, conficiat, cunctorum jure malorum

Dicta

Dicta olim mater? Quae monſtra libidinis illi
Debemus? Sed ſancta domus, caſtumque cubile,
Praeſtatur plerumque quibus redit actus in orbem
Perpetuum labor, et defeſſi corporis artus
Tempeſtive indunt ſtratis, ad penſa diurna
Mox ſurrecturi cum primo ſole; nec illis
Rebus adeſſe vacat quae tam locupletibus obſtant.
Haud equidem ignoro vitia ultima ſaepe reperta
Inter eos, urget quos duris rebus egeſtas:
Sed cum res tenuis fuerit virtutibus aequa,
Si ſaperent minime querentur, ſed ſibi vellent
Plaudere, queis habitat virtus vicina labori.

Ut ſit, cum vitae ſpatium confecerit arctum,
Una manet ſors mendicum, regemque tremendum:
Nec referre putes, vita bene ſcilicet acta,
Ex hac colluvione ad ſumma palatia caeli
Prodieritne caſa quis, regum an turribus altis.

Sed quidni plorent, valetudine ſi quibus uti
Contigit adverſa, aut morbis tentantur acutis?
Horum etiam miſeret, ſed ni modo dicta refellas,
Colligo continuo non aequa querela, nec uſus.
Quin ſeſe incuſent merito, ſi forte libido,
Vel gula, vel curae nimiae, vel turpe veternum

Corporis

Corporis aut animi vires confecerit. At ſi
Non proprio vitio, ſed caeli numine, morbus
Ingruat, enervet, cruciet, cui nulla medentur
Pharmaca, ſed fruſtra *Medus, Philus, Hulſius* aegro
Aſſideant, dictent, conſultent; unica reſtet
Et medicina malis, patientia; non ſine culpa
Deſpondent animum, aut paſſos ſe indigna querantur.
Nam niſi deſipiunt, haec ſecum volvere, jure
Debetur morti genuit quod lapſus *Adamus*,
Jure patris luimus ſcelus. Inconceſſa querela
Viventi quicquid plectatur: pagina ſacra
Sic monet. Et cum ſe moriturum nemo queratur
Aegrotans quid cauſſetur? Sed porro monendi,
Qui vel morte magis metuendam ducere vitam
Se lamentantur, non aptam rebus agendis
Nimirum, juxta ac cruciatibus uſque refertam,
Non modo quae juſſit numen ſubeunda virili
Eſſe atque aequo animo, ſed, ni prudentia deſit,
Ponenda in lucro. Namque ut fere praegravet aegrum
Corpus mentem etiam, atque obeunti munia vitae
Obſit; non minimum confert ſapientiam ad illam
Qua ſola quis ſe faciat ſervetque beatum.
Quippe leves curas minuit, ſufflaminat in res
Aequo majores elata mente ruentes,

Iramque

Iramque et faſtum premit, atque libidinis oeſtrum,
Et monet in meliora velint aeternaque niti.

Haec de pauperie, adverſa et valetudine dicta
Continuo referas ad quaeque incommoda vitae:
Si fama immerito laeſa eſt, ſi fallit amicus,
Improles ſiquis fuerit, natisve ſuperſtes,
Ex quibus eliciat bona quis ne adverſa queratur.

Verum alia eſt ratio, *Theodule* fatemur, eorum
Quos *hypocondriacos*, aut mentis jure minutae
Dicere non dubitant medicorum filii; habendi
Sunt illi tanquam infantes: pariterque ferendi,
Intervalla tamen fuerint ſi lucida, amicis
Quid poterit ratio, et verborum blanda poteſtas
Tentandum eſt, et quid porro medicamina praeſtent.

Sed mala fortunae dicas, et corporis, aequo
Eſſe ferenda animo: Levia et vix ullius iſta
Momenti, ſiquis cruciatus ſpectet acerbos
Qui miſeros urunt " quos diri conſcia facti
" Mens habet attonitos, et ſurdo verbere caedit
" Occultum quatiente animo tortore flagellum.
Hos quis non jubeat noctem plorare diemque?

Sincere

Sincere miſeros, et ab omni parte? Quis illos
Soletur dictis, moneatve abſiſtere planctu?
Praecipue cum ſint longe graviora timenda
Sontibus; et poenas mox exactura perennes
Sit nemeſis divina ſimul de corpore migrent.
Hiſce dolor quivis nimius, vel vulnere major?

Quin de ſtultitia propria, *Theodule*, querantur,
Et ſeſe increpitent, non cauſſam dico. Decora
Sunt certe lacrymae, planctus, ſuſpiria, quicquid
Teſtetur geſtent quos alto in corde dolores.
Quis vero tulerit tribuentes numinis irae
Quod delirarint ipſi? fatove maligno
Sponte ſua ſcelus admiſſum? Quin nemo queratur
Prochivem vitiis naturam, aliosve colores
Dicat, quo facilis ſibi ſeſe abſolvere poſſit,
Imputet atque Deo tandem male facta benigno,
Qui nequit allicere in fraudem, aut impellere quemquam
In mala: nam peccant ultro quicunque recedunt
A vero, debentque ſibi quod turpia flectant.
Nec miſeri ut fiant mortales eſſe creatos
Quis dicat, ſine Majeſtatis crimine laeſae
Divinae, qui omnino omnes vult eſſe beatos,
Nec quemquam perdit niſi qui ſe projicit ultro.

De ſumme juſto atque bono quae cauſſa querelae?

Quin mente afflicta placanto numen, ad Agnum
Confugiantque Dei, qui mundi crimina tollit:
Ad ſe continuo redeant, vitiisque relictis
Dent operam fortes virtuti, et rebus omiſſis
Futilibus toti ad divina aeternaque ſpirent,
Implorent et opem, quam fruſtra nemo requiret.
Hinc preſens requies, hinc tandem vita beata,
Quam queſtu et cura vacui per ſecula ducent.

GULI-

GULIELMUS Tertius.

Enſas, amores, praelia caelitum;
Hydras, Chimaeras, Gorgonas, horrida
Quaecunque deliravit olim
Credula prodigii vetuſtas;

Heroas illos fabula quos dedit,
Late et tyrannos, queis hominum genus
Debet catenas (mónſtra nata in
Perniciem opprobiumque mundi,

Portenta noctis digna ſilentio)
Ornare inepto carmine noverint
Queis veritati non litare
Contigerit, fideique canae.

Te noſtra dicet muſa *Britannicae*
Wilhelme gentis gloria: te canam
Europa quem ſenſit patronum,
Et fera contremuit tyrannis.

Non laudo quod ſis Regibus editus;
Nec quod creatus fortibus et bonis:
Haec noſtra non ſunt; hiſce ſaepe
Peſſima nomina gloriantur.

Te priſca ſummum evexit ad aethera
Virtus merentem, propoſiti tenax
Conſtantia, incoctumque pectus
Juſtitia penitus fideque.

At charitatem qui referent modi
Amplexus eſt qua totum hominum genus
Naſſovius, qui humana nulla
Eſſe aliena ſibi putavit.

Auraſionis libera principi
Quid debeas, *Europa*, nepotibus
Sit *Ludovicus* teſtis olim,
Qui tibi nexuerat catenas.

Sicut per arva, et prata virentia
Impulſa, ruptis aggeribus, ruit
Moles aquarum, incumbit alto
Dum pelago horribilis procella,

Armenta

Armenta volvit, ſternit ovilia,
Congeſta rumpit ceſpite culmina
Tectorum, et in colles propinquos
Conjuge cum pavida et puellis

Urget colonum, vel tenuem in ſcapham,
Aut tecta divum (ut fors tulerit levis)
Haud anxium cura peculi, at
Uni inhiantem avide ſaluti.

Turmae in *Batavos* haud ſecus irruunt
E *Galliarum* finibus hoſticae,
Ducitque victrices catervas
Rex opibus ſociisque pollens.

Rhenum bibentes flumen et *Iſſalam*
Statim recepit; terruit *Amſtelam*,
Ne pauperum cymbis ut olim,
Mox fieret ſtatio miſella.

Hagaque (amoeni delicias loci
Ut tranſit aegre muſa, palatium
Sylveſtre, et hortos, et vireta
Aera, primus ubi hauſit infans

Wilhelmus) acta accerſere publica
Prudens ſenatus cogitat, et fugam,
Terra inundata relicta, ad
Gemmiferum meditatur *Indum*.

Cum vix adultus (ſic patrius vigor
Urgebat, et mens numine percita)
Heros, ad exemplar parentum,
Ardet, et obvius it tyranno.

Nil inſolentes terrificant minae,
Nil copiarum vis, numero gravis,
Condaei, et experti *Turenni*
Arma nihil juvenem morantur.

* Ductoris atrum nec cacodaemona
Gibbi refugit. (Fabula fert magum:
At veritas infame nomen
Caedibus atque ſtupris reliquit.)

Spectante Gallo *Nardeniam* jugo
Exemit; et quid caetera proſequar?
Mox hoſticum invadens adegit
In proprios remeare fines.

---

* Luxembourg.

Sic

Sic rem *Quirinam* jam prope perditam
Inſtaurat altus *Scipio*, dum petit
Ferro *Carthaginem*, et Senatum
Annibalem revocare cogit.

Exinde —— ſed tam grandia carmine
Dum molior, quam deficiunt mihi
Vires anhelo! Et Phoebus aurem
Vellit, et admonet: " His camoenis

" Dicenda ſummi geſta putas ducis?
" Regemque tantum tam tenui lyra?
" Prodire contentus memento
" Quid fragiles humeri recuſent.

" Praeſtabit aetas poſtera dignior
" Olim poetam, livor edax ubi
" Contriverit dentem ferocem,
" Qui meritis canet aequa magnis.

" Laudi futurum eſt interea ſatis
" *Naſſovio* magno imperium ſui
" Regis *Georgi*, quem *Britanni* in
" Omnia ſecula praedicabunt.

GEOR-

GEORGIUS redux

AD

BRITANNIAM.

APpulit tandem pretiosa navis,
Votis tuorum referens petitum
Georgium, rerum columen tuarum,
Insula felix.

Angelus (nam quid latuisse musam
Dixeris) summo veniens olympo, et
Imminens pino, sacra jussa pandit
Cuncta potentis.

Audiant venti, sileant procellae,
Aequoris robur placide ministret,
Navigat Princeps hominum et Deorum
Publica cura.

Gaudeat

Gaudeat quisquis pius eſt; et una
Lugeat, rebus maleſana fractis,
Turba, quae regum colit et Deorum
Numina ficta.

Aureum vellus tulerit ſecundo
Omine, et lectos juvenes, priores
Omnibus gaſis, ſit et inter aſtra
Nobilis *Argo*,

Aequa fulgebit *Carolina*, numen
Devebens *Georgi*, potioris omni
Merce, qua ditat *Thameſin* ſuperbum
Indus uterque;

In Mortem ADDISONI

AD

TICLUM.

CAelum reverſa eſt *Virgilio* aemuli
Vatis *Britanni* muſa, querentibus
Te, *Ticle*, et illis quos decorum eſt
Annumerare choro piorum.

Nox *Addiſonum* nec premet invida,
Non ſi poetae carmina lugubri
Aptanda plectro, vel canora
Voce ſonanda, negent merenti.

Quamvis * *Ariſtae* conſenuit lyra;
Etſi *Prioris* barbiton, arduis
Defunctum, et appenſum columnae,
Congreviique fides ſileret.

* D. Buck.

Dum

Dum tollet aetas * *Maeonidem* alterum,
Pugnas canentem caelitum, et horrida
Inferni, et excelſum *Catonem*,
Marlburiumque gravem tyrannis;

Conſtabit illi fama perennis, et
Lauri virentis gloria, dum feret
Nomen *Georgi* muſa ſeros
Secla per innumera ad nepotes.

Sic *Flaccus*, et ſic altiſonus *Maro*,
Dum gentem *Iuli* carmine conſecrant,
Seſe inſerunt ſtellis, paresque
Lumine *Caeſaribus* coruſcant.

---

* Milton.

MARL-

MARLBURIUS.

TErras reliquit *Marlburius*, decor
Gentis *Britannae*. Carmine profequi
Ut muſa geſtit, curta quam ſit
Immemor heu tenui ſupellex!

Fruſtra monentem " Tu, niſi tetricis
" Debes poetis ludibrium, cave,
Audivit; indignansque lora
Limina avet penetrare Divum:

Ignoſcat, oro, *Pieridum* chorus,
Oeſtro furoris ſi male percita
Se immiſceat ſacris profana,
Neſcia quid meditetur audax.

Sed mente magnum dum intueor virum,
Et geſta ſummi dum recolo ducis,
Flamma repente incendor, ardet
Pectus apollineo calore.

Cerno

Cerno petentem ſidera principem, et
Caelos apertos: audio buccinas
Exercitus caeleſtis. En ut
Agmina proſiliunt coruſca!

Jam prodit altus *Gabriel*, imperî
Cuſtos *Britanni*; quam bonus excipit
Notum benigno vultu, et omnes
Circumeunt avide cohortes!

Caeleſte limen jam ſubit arduus!
Ultra negatur lumine conſequi;
Occluſa ſunt aeterna caeli
Atria et ingruere heu tenebrae!

Sed muſa, qualis *Miltonii* fuit,
Aſſueta divis; quaeve *Prioris*, et
Docti *Addiſoni* ſacra cinxit
Tempora perpetuo virore,

Narraret ingens quem teneat locum
Heroas inter *Marlburius* ſacros
Quos educavit *Roma* quondam, et
Graecia ſemideum referta.

Utrum *Africano* proximus accubet
Menſis Deorum, cui ferus *Annibal*
Porrexit herbam, cui *Latinae*
Aemula ſuccubuit poteſtas;

Quem *Roma*, paucis aequa merentibus,
Ad roſtra ſiſti ſuſtinuiſſet, ut
Vilis peculator, tribunus
Ni generoſior abnuiſſet,

Te * *Gracche* dicent carmine poſteri; at
Nigros notabit muſa *Petillios*,
Perſtringet et foede hirrientem
Te, *Cato*, *Scipiadis* inique.

An *Flaminino*, *Graecia* cui refert
Demptas catenas; *Aemiliove*, quem
Solatur orbatum ſalus, et
Gloria *Romulidis* adaucta.

Inter ſodales quantus *Iaſonis*
Incedat; an ſit *Miltiadi* comes;
Illive qui delevit altae
Perſidis innumeras cohortes

* Vid. Liv. lib: 38. 50, &c.

Ultr

Ultra referret quam fuerit placens
Conviva ſummo *Marlburius* viro
Naſſovio, quo auctore belli hunc
Anna ſibi voluit miniſtrum.

Regina felix o ter et amplius,
Cunctisque ſemper chara futura, ſi
Florente jam *Churchillo*, in auras
Spiritus integer exiiſſet!

Nec nos lateret, dum caneret lyra
Phoebi ſacerdos, quid rogitaverit
Divus ſuper te, magne *Georgi*,
Prole ſuperque tua benigne

Wilhelmus, et qui dixerit (abdita
Fati repandens) Exulis irrita
Sunt vota, quicquid moliatur
Turba gravis patriae ſaluti.

Brunsvica nam gens imperio reget
Te, noſtra ſemper cura, *Britannia*,
Compage rerum dum ſoluta
Ardeat intereatque tellus.

Ponentur olim corda ferocia
Coetus maligni. numina ſic volunt:
Nec civium ardor pravus ultra
Excutiet placidam quietem.

Felicitatem *Britonibus* ſuam
Noviſſe, doctis otia ducere,
Continget, et fruſtra frementes
Finitimos cohibere nutu.

Res pacis omnes interea colant
Concorde voto plebs proceresque, quin
Myſtae ſeveri proloquantur
Numine digna benigniori,

Vates moneto; quem penetralia
Dignata muſa eſt viſere olympia, et
Conceſſit ut currus equosque
Aſpiceres faciesque Diuum.

Artesque belli (jam nimis utiles,
Inſanientes dum patriae ſtruunt,
Ipſisque, cives heu nefandam
Perniciem male feriati)

Pubem

Pubem docebit fidus et impriger
Marlburi alumnus (teſtis et aemulus
Virtutis idem) *Cadoganus.*

Nomen ab *Eugenio* ſecundum.

E Vernaculo, V. C.

THOM: BURNET.

Theor. Telluris, Lib. 3.

AUdite quotquot Philoſophi leves
Exiſtimatis numine dirigi
Praeſente nullo, at ſorte quadam
Omnia neſcio qua moveri.

Mentesque nullas corporibus ſuper
His eſſe vultis, mors ſimul artubus
Seduxerit vitam caducis,
Miſcueritque luto parenti.

Annon puſilli eſt unica lubricae
Spectare vitae commoda? Non miſer
Cenſendus hic, qui ad ſiquid ultra eſt
Angitur et trepidat futuri?

Quemquamne dicas magni animi virum,
Quacunque vitae in parte refulgeat,
Qui rebus incumbit minutis
Expleat ut ſatietque mentem?

Quid vita ſodes arcta niſi orbita,
In quam coacti ducimus indies
Gyros inepte, qua rotatos
Futilium ſeries fatigat?

Dormitur, et mox evigilatur, et
Exinde curae eſt indui et exui,
Dein victus, et luſus, laborve,
Mentem humilem vicibus propellunt.

Nugas agendo conterimus diem;
Noctisque ad ortum corpora ſternimus
Defeſſa lecto; et dormientes
Quae ſpecies agitant inanes!

Quam ſomniorum vis gravis incubat,
Et conſopitis ludibrium facit!
Interque veri pauciora
Fragmina, quot ſubeunt inepta

Portenta rerum monſtraque! dum jacet
Sepulta mens, et conſcia vix ſui,
Paulumque nos diſtamus illis
Quos ſtabulum capit aut ovile.

Et digna nobis talia creditmus?
Mentique noſtrae caelitus inditae,
Et geſtienti viſere patriam,
Tantula ſufficere arbitramur?

Ut quid moramur tollere nos humo?
Tandem audeamus nos ſapere altius,
Aeterna ſpiremus, caducis
Poſthabitis, meliore voto.

Fidenter anceps jacta ſit alea:
Fruſtra futuri? Sic reliquis pares;
Nec ſpe cadentes quisquam erit qui
Ludet et excipiet ſiniſtre.

Sin diſſipato corpore mens viget,
Si quid repoſtum fortibus et bonis,
Voto petitos quanta tandem
Gloria, quique manent triumphi

GENEROSUS.

Paucis, *ingenuus* qui ſit dicendus, habeto.
Hic minime quaeras qua ſit de ſtirpe creatus,
Quove loci natus, quod caelum infantia prima
Hauſerit, aut qua ſit bacca nutrita juventa;
Res ampla an tenuis; ſimplex an lauta ſuppellex;
Quot paſcat porro ſervos; vel quomodo coenet;
Qui ſit veſtitus; toga craſſa, an ſplendeat auro
Purpureus pannus; quo vitae munere fungi
Contigerit; degat ruri, vel in urbe, vel aula;
Corpore ſit pulchro, vel ſint deformia membra:
Calleat an linguas, choreas, et muſica necne;
Doctus an indoctus; fuerit num ſermo politus,
Et promptus, demum et torrens, vel durus, et aſper:
Ingenuum ſane decorant bona corporis, imo, et
Fortunae; multoque magis doctrina, ſed iſta
Non faciunt (nedum officiunt contraria) talem.

Quis

Quis tandem *ingenui* nomen feret? Ille profecto
Solus cui fervet generoſo pectus amore
Erga omnes omnino homines; ſuccurrere promptus,
Res utcunque ferat, miſeris; felicibus una
Gaudet, ab invidia longe lateque remotus.
Qui de ſe modice ſentit; nec cernit acutus
In vitiis aliorum, dum ſua pervidet; aequus
Aeſtimat at quicquid laudi eſt, vel in hoſtibus ipſis.
Qui facile ignoſcit ſi quis deliquerit; et de
Se meritis bene vult dignas perſolvere grates;
Et veniam, imprudens ſi quemquam offenderit, orat.
Qui rem vel famam vicini laedere nulla
Conditione poteſt duci; et patronus haberi
Abſentis gaudet; laeſum et defendit amicum
Quantum fas et jura ſinunt: benefacta nec ulli
Exprobrat coram, nec clam narrare, malignus
Suſtinet aut vanus. Qui non venit aſper egenis
Rebus, adulari nec lautis noverit: omnes
Excipiens laetus quos advocat, aut ſua caſu
Limina qui ſubeunt. Qui non conviva moleſtus,
Nec quemquam exagitat; nunquam ſecreta domorum
Scire cupit, vel nota palam facit. Haud erit ille
Garrulus, aut nimium tacitus, ſed mutua reddit
Sermonis; ſilet et loquitur ſine lumine torvo,

Aut

Aut vultu tetrico. Qui mitis et omnibus æquus
Ut placeat ſtudet, atque ſimul prodeſſe; nec unquam
Laudis amore tumens ſeque et ſua prædicat. Ille
Ingenuus, generoſus, nobilis audiat; at qui
Diverſus, vilisque, humilisque, et ſordidus eſto.

SUPER-

SUPERNA.

BEatus ille qui, caduca negligens,
Deo levante, tendit ad perennia:
Is irretorta ſcit tenere lumina
Ad omne pondus utriusque laminae,
Et omne quod peruſta mittit *India*,
Ebur curule purpuramque principum;
Tropaea, ſerta laureata militis
Triumphum agentis, et rotis data agmina;
Et ora pulchra, fomitem cupidinis;
Et omne quod profana turba deperit.
Nec ille pallet ad nefanda monſtra, quae
Timet, fugitve vulgus imperitior,
Penuriam, probrumque, et aegritudines,
Senectam, et orbitatem, et atra carceris,
Flagella, vincla, luridumque ſtipitem,
Necemque acerbam, et inſepulta corpora.

Beate

Beate *Chriſte*, ſpes, amor, decus meum,
Adeſto totus, intimumque pectoris
Meet per omne vis amica ſpiritus,
Et urgeat calore ſacro cor mihi
Ut ad ſuperna niſus illa moliar
Cohors adepta quae beata caelitum eſt,
Tu ubi praealtus aſſides throno patris:
Et inde prodeunte te, omnium arbitro,
Sacro fidelium choro ipſe miſcear.

Dei Benignitas.

QUam felix fuerit, quamque ſuis bonus
Naturae genitor maximus, optimus,
Qui nutu facili temperat omnia,
Teſtantur celebres, riteque praedicant
Qui terramque colunt, quosque polus tenet.
Hi coram ſolio flectere geſtiunt
Caeleſti genua, et carmina dicere
Non audita viris, non humili lyrae
Aptanda, aut hominum mentibus obvia.
Nec nos deſpiciunt dum pueriliter,
Infantumque modo, concinimus rudes;
Et miſcere ſuis noſtra nihil negant.
Inſtat praeterea laeta dies, ubi
Nos, facti ſimilies angelico choro,
Olim haud diſſimili voce, lyra, modis
Communem Dominum concelebrabimus.

Votum

Votum Matutinum.

Lma quod te lux videam, tenebris
Extimis dignus, refero parenti
Luminum, quo tu celer exiliſti
Praecipiente.

Ille mi tectum dedit, et cubile,
Quo ſuo *Chriſtus* caruit, relicto
Cum patris ſummi gremio, miſellum hunc
Viſeret orbem.

Ille donavit placidam benignus
Artubus feſſis requiem; nec ulla
Abſtulit ſomnos inimica molles
Cura dolorve.

Fecit ut longe foret aegritudo
Mentis, et quicquid crucīet tenellos
Corporis nervos, graviorque bilis
Omnibus atra,

Saeva quae torquet vigilem, et ſoporis
Siquid obrepat, ſubito tremendis
Somniis arcet, pariuntque verum
Falſa dolorem.

Praeſtitit cuſtos mihi tuta fidus
Cuncta: nil fures nocuere amantes
Noctis, aut flamma, aut minitans ruinam
Dira procella.

Obvius nemo vigili malarum
Nuncius rerum fuit; intuetur
Laeta me ſalvum domus, et viciſſim
Laetus ego illam.

Reſtat ut notos obeam labores
Impiger, curis vacuus, ſupremo
Rite ſed pura prius invocato
Numine mente.

Hymnus

Hymnus,

AD

CHRISTUM.

TE Deo aeterno genitum, priusquam
Mundi orirentur, fieretve tempus,
Unice charum et similem parenti, a
Numine numen;

Te cano per quem pater universa
Condidit; terram, mare, lucidosque
Circulos, quicquid patet inuenti,
Quaeque negatur

Assequi visu, fugiuntque acumen
Mentis humanae: Tibi sustinenti
Omnia incumbunt, tibi temperanti
Omnia parenti

Filium Jovae venerantur omnes
Ordines caeli; tua juſſa fortes
Exequi gaudent; metuuntque ſceptrum
Tartara nigra.

Sed negat plane numeris referri, et
Carminum vires ſuperat, modosque
Caelitum, quae nos miſerans redemit
Gratia lapſos.

Haec, patris dulci gremio relicto,
Egit ut terram, ſcelere inquinatam,
Viſeres ultro, tenuique velles
Virgine naſci.

Sortis humanae nihil abnuentem
Vidimus caeli dominum patremque,
Et ſua (Mirum!) malefacta noſtra
Morte piantem.

Quanta vis haec in miſeros amoris!
Hunc pii cuncti celebrent, et omni
Geſtiant omnes opera referre
Gratiam amanti.

Ad JESUM *mens fracta.*

Enigne *Ieſu*, ſis facilis precor,
Fuſoque pro me ſanguine conſciam
Adſperge mentem, quam nefanda
Il'uvie ſcelerum refertam!

Scis, *Chriſte*, quantum me pudeat mei
Contaminati; quot cruciatibus
Cor urgeatur, quae feroces
Exagitent animum procellae.

En advolutum me genibus tuis!
Pedes adoro. Reſpice ſupplicem.
O quid moraris? Jam prehendit
Vindicis ira Dei nocentem.

O quid moraris? Fulmine dexteram
Cerno rubentem; me jaculatur, et
Ni texeris praeſens, perire
Continuo miſerum neceſſe eſt.

O quid

O quid moraris? Sed videor mihi
Sentire (falsa an ludor imagine?)
Vultus benignos, et favoris,
Exanimem recreantis, auram.

Beate *Iesu*, quis dubitaverit
Sperare, cum tu dixeris "Huc ades
" Quicunque defessus laboras,
" Et dabitur requies onusto?

Accede, clamas, quisquis es. Et mihi
Praecluſa cur ſit janua gratiae,
Ut maximus precator eſſem
E fragili genitis *Adamo*,

Si confiteri crimina non male
Detrecto, et acris ſi dolor urgeat,
Et ſerio tandem prioris
Me pudeat pigeatque vitae?

Quam ſim mi, *Iesu*, totus in hoc vides:
Beatus adſit mi modo ſpiritus,
Juvetque ne vel vis fatiget
Hoſtica, deliciaeve frangant.

Auguſta ſic te cæ'ituum cohors
Summe benignum continuo canet:
Tandemque cæli compos ipſe
Uſque tuas celebrabo laudes.

Calendae

Calendae Auguſti, 1728.

Hic, *Theodule*, dies eat omnes dulcis in annos,
Quo ſuperi voluere ſuis dare jura *Britannis*
Ortos *Brunſvico*. Te lux haec alma, *Georgi*,
Donavit jam tum metuentibus ultima, ſalvas
Ut res praeſtares; nempe illibata maneret
Vera ut religio, et libertas aurea, quae jam
Migratura alio trepidas concuſſerat alas.
Humano generi chariſſima nomina, quantum
Divini meruere *Senis* curae atque labores
De vobis! et quam ſemper veneranda favilla!
Quicquid debetur, ſiquid mea carmina poſſent,
Solverem, et aeternum ferrem ſuper aethera nomen.
Sed deſunt animo vires; et muſa recuſat
Ferre humeris impar onus, ad mediocria nata.
Sin autem dederint venientia ſecula vatem
Antiquis ſimilem, cui mens divinior inſit:
Illius eſto virum celebrare. Exordia ſumat
Carmen ab hoc, quemcunque volet laudare futurum

Illuſtrem

Illuſtrem *Brunsvicenſi* de ſanguine Regem.

Seu te *Auguſte* canet, quem laeta Britannia votis
Proſequitur, multos ut feliciſſimus annos
Vivas, et longam oblectet *Carolina* ſenectam.

Seu te qui ſeris, *Frederice*, nepotibus umbram
Olim es facturus. Seu de te quemque creatum,
Ejus, quisquis erit, dum ſplendida quaeque recenſet;
Ingenium divinum, et facta ingentia narrans;
Quod fuerit pacis ſtudium; qu m vivida virtus
In bello; quam clementer ſe geſſerit hoſte
Devicto; bene quam largus donare merentes
De patria; et preſſis quam certus adeſſet amicis;
Sacris quam invigilans; juris quam cultor et aequi;
Omnesque amplexus cives diſcrimine nullo:
Quas tulerit leges, quibus et ſit moribus uſus;
Caverit et nequid faceret res publica dámni;
Audieritque bonis longe lateque patronus.

Haec referens vates, non degeneraſſe monebit
A patre *Georgiadas* regnum qui primus inivit;
Utque idem exemplar fuerat qui gentis origo.

O curvae

O curvae in Terras. Perſius.

AD res incumbit quisquis, *Theodule*, minutas
Aetatem deget, crede, quiete procul:
Anget enim vicibus male quod delectat; et idem
Fons (mirum dictu) dulcia et amara dabit

Res ergo expendas, nec opinio fallat: habenda
Quae nihil ad mores nullius eſſe putes.
Hunc magnum reputes, ut coenet oluſcula pauper
Cui mens ad ſummum ſpirat anhela Deum.
Sordeat ille autem, ſciat ut vel regibus uti,
Qui vitiis aeger ſola caduca ſapit.

REME-

REMEDIUM.

SOlicitis vacuum curis, quarum omnia plena,
Si praestare animum, *Cuminiane*, voles;
Assiduus posce ut mentem quoque temperet *Ille*
Quem rebus sentis usque praeesse tuis.
Sin autem quidquam solito violentius instet
Quid tempus moneat dispice: fide Deo:
Atque subinde puta lucem mox adfore laetam
Quae patriam, requiem, gaudia, cuncta, dabit.

Ad TONGIUM.

PRaeteritos revocare annos, charissime *Tongi*,
Si mihi si tibi forte liceret;
Possemusne iterum, ut subeamus taedia vitae,
Ulla conditione moveri:
Ut tot defuncti curis, tantisque periclis,
Quaeque animus meminisse refugit,
Infames iterum scopulos pallere velimus,
Atque novas *Syrtes* trepidare:
Ipso in conspectu portus dare vela retrorsum,
Et campos iterare liquentes?
Exitus ut fieret melior praestare valemus
Fabula denuo si esset agenda?
Quin potius subeat gaudere et plaudere laetis,
Actum tandem instare supremum.

Ad

Ad *Arturum Onſlow.*

Arture, cum ſis civibus editus
Qui ſemper acres invigilaverint
Rebus Britannis; nil tumultum
In furias populi ruentis,

Minasve regum prava jubentium
Unquam morati; ſcilicet unice
Intenti ad hoc, ut ſancta legum et
Intemerata foret poteſtas:

His ortum ut horum ſis ſimilis monet
Inculta quamvis muſa ſit, et ſciat
Artes adulandi beatis
Eſſe fide fere gratiores.

Huc uſque civis ſanctus, et integer
Prodiſti amicus fortibus et bonis:
Quo ſenatorem frequentes
Eſſe tui voluere *Regni*.

Suffragiis mox unanimis tibi
Defert ſenatus munus et arduum,
Et dignitatis plenum, et unde
Progrediaris ad ampliora.

Incumbe remis fortiter, et vide
Ne te voluptas, ambitio mala,
Vel turpe lucrum flectat: olim
Sed decus *Onſloidis* futurus.

Pro more gentis, tu populariter
Vivas, et aequus ſis mediocribus;
Idemque cautus ne tremenda in
Saxa adigat popularis aura.

Porro es monendus (ludibrium niſi
Debes malignis) lenior indies
Eias ut, et ſiquis laceſſat
Ut moderere animo frementi.

Sic univerſus te populus colat:
Sic te ſenatus diligat unice;
Et *Georgius* dignetur omni,
Quem cupias ſapiens, honore.

Samueli

Samueli Chandlero.

Dicenti, *Chandlere*, frequens tibi concio plaudit,
Et gremio docti ſcripta polita fovent:
Sed quod divendas libros fert quisque moleſte;
Et reor hoc ipſum pignus amoris habet.
Quippe timent charo capiti, ne forte beato
Non aeque ſacris rebus adeſſe vacet.
Ut te non habeat ſuſpectum muſa, cavere
Ne nimium ſias bibliopola monet.
Frontem de rebus! monet hoc nimis ipſe poeta,
Qui verſus quos quis rideat uſque facit:
Quos metuo ne rarus emat, vel perlegat emptos,
Perlectosve probet. Sin aliter, quid habes?
Gloriolam tenuem, quam vel quadrantibus octo
Haud emerem ſanus. Bibliopola ſapis.
Macte tua, *Samuel*, virtute. Valete camoenae:
Vertumnus multum praeſtat, *Apollo* nihil.

Ut lectoris fastidium levem, addam Epigramma eruditissimi Juvenis *Joannis Russelii*, in nuptias *Thomae Rowe*, qui duxit *Elizabetham Singer*, alias *Philomelam*, poetriam merito celebratam.

Quid doctum par usque tuum, sociosque labores,
Fabrae et *Dacerii*, *Gallia* vana crepas?
Par majus gens *Angla* dedit, juvenem atque puellam,
Quos hodie sacro foedere junxit amor.
Namque ea quae nostri *Phoebo* cecinere docente,
Explicuisse tuis gloria summa foret.

Et hoc cujusdam *Anonymi*, qui sibi visus est nescio quid, supra vulgus, in politicis sapere.

Ad

Ad *Calebum Danvers.*

Ectius, *Danvers*, faceres, omiſſo
Quem petis tanta rabie potenti
Aemulo; cum nil fere praeſtet absque
Viribus ira.

Herculi clavam prius, aut *Minervae*
Aegida attentet, frameamve *Martis*,
Walpoli quisquis volet invidendam
Tollere virgam.

Dum fidem praeſtat *Domino*; favetque
Impigro rerum *Carolina* prudens;
Et diem, ritu patrio, maligni
Dicere ceſſant.

Vulgus irrites ſatira profanum;
Quod quis arceret generoſiori
Praeditus mente, ut male feriatum,
Nec ſatis aequum

Imperi

Imperi rebus. Tibi plaudat omnis
Turba cui gens eſt gravis *Hanoveri*,
Et volunt rebus patriis praeeſſe

Pſeudo-*Stuartum*.

Mentis at ſanae quibus ulla mica eſt
Sentiunt larvam et phaleras *Caleti*,
Rebus haud noſtris, ſibi ſed ſuisque

Proſpicientis.

Ut ſit: an credis calamum valere,
Felle tingatur licet, et ſalis ſit
Multa vis, contra venerata cunctis

Numina Piſci.

FINIS

MVSEVM
BRITAN
NICVM